HISTORIA,

DE VITA, MORIBVS, DOCTRINA, ET REBVS GESTIS THEODORI BEZÆ,

ARCHIMINISTRI GENEVÆ, QVANTVM hactenus perspici cognosciqúe potuit, interim, dum ipse, si videbitur, reliquum adiiciat.

SCRIPTA GALLICE,

PER

M. HIERONYMVM BOLZEC,

Theologum, & Medicum, Lugduni;

ET LATINE REDDITA

PER

PANTALEONTEM THEVENINVM

Lotharingum Commerciensem, J. V. D.

Accessit eiusdem de vita BEZAE Cento; itemque de Haereticis ac de Religione poëmatia.

ECCLESIASTICI *XI.*

Ante mortem non laudes hominem quenq̃.

Cum Gratia & Priuilegio Cesareæ Maiestatis.

INGOLSTADII,

Ex Typographia DAVIDIS SARTORII.

Anno cIↃ. IↃ. XXCIV.

JCCI

GENEROSO MAGNÆQVE SPEI ADOLESCENTI, DOMINO CAROLO A CASTELLETO, Castelli & Castrinoni Baroni, Domino Sorcei, Passauanti, &c. Domino suo humanissimo.

PANTALEON THEVENINVS S. P. D.

QVOD in mari laborantibus accidere solet, GENEROSE BARO, vt rector ad gubernacula sedens rectum clauum teneat: nautæ, alij vela contrahant, alij anchoram iaciant, quidam per foros cursitent, nonnulli sentinam exhauriant; dum, superatis fluctibus, ad portum nauis appulerit: id in Ecclesia Catholica Petriq́ue Cymba, hæresium

sium fluctibus mirificè nostris temporibus agitata contigisse perspicimus. GREGORIVS enim XIII. pastor vigilantissimus, vereque GREGORIVS, & eo numero GREGORIVS qui Apostolorum integræ societati tribuitur, ab eo tempore quo felicissimis eius auspiciis, Lutetiæ, spectante me, ante annos 12. hoc ipso mense & die Caluinianus serpens cæsus occubuit (quod in scuto trophæum, anteà, non sine sorte Dei, sibi sumpsisse visus est) sic in eximio illo ac præcellenti munere sese gerit, vt excitandis instruendisq;, in gratiam Germanorum, Anglorum, Iudæorum, Barbarorum etiam & Infidelium Seminariis atque Collegiis, Decretisque veterum & Fastis corrigendis & emẽdandis, nulli rei magis, quàm hæreticorum saluti & cõuersioni, suorum verò paci & tranquillitati consulere videatur. Ad eius æmulationem, cæteri, Episcopi, Sacerdotes, Doctores, vnoq; nomine Clerici ita se componunt,

ponunt, vt vitæ piè ſancteq; traducendæ, & Religionis Catholicæ ab hæreſibus aſſerendæ vindicandæque ſuum omne tempus impertiant. In iis autem qui in eam curam incumbunt, vt peruerſitas hæreſeωn radicitùs euellatur, non poſtremas habere videri ſolent, qui, editis, ad fidem hiſtoriæ vitis Hæreſiarcharum rebusque geſtis, cæcis & caligantibus oculos aperiunt, vt qui antea fuco decepti eſſent, perſpecta vitæ deformitate eorum, quos Prophetas eximios, & Sanctos eſſe crediderant, ad ſeſe reuerſi, oblatam à Domino ſalutem amplectantur. *Beatus enim vir* (vt inde diuinum opus pſaltes Regius exorditur) *qui non abiit in conſilium impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Quod quidem, ſibi dictum homines Caluinianæ perſuaſionis intelligẽt, ſi ad Caluini Bezæque vitam reſpexerint, & ad Apoſtoli verba, 2. ad Timoth. 3. luculenta ſanè, paulò diligentiùs attende-

rint. *Hoc ſcito* (inquit, diſcipulum admonens) *quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, Et erunt homines ſeipſos amãtes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas: Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.* Quæ, vt ab Apoſtolo dicta ſunt grauiſſimè, ita in Bezam, vt ex hac hiſtoria videre eſt, cadunt vniuerſa, vt ſigillatim de ipſo, tot annos antè, pronunciata videantur. *Atqui oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe* (ait idem Apoſtolus ad Titum 1.) *ſicut Dei diſpenſatorẽ, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem*

Et tentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, &c. Vt & omittã illa, quæ in eam sententiã, 1. ad Timoth. 3. ab illo ipso Paulo referuntur. Cùm igitur hanc istius vitã Gallicè scriptã foro multis, & voluptati, & vtilitati perspicerem, si modò, his quidẽ in partibus, latinè loqueretur, eam mihi, superiore studiorum iustitio, donandam esse Latio putaui, vt & Ecclesiæ Dei, & Reip. Christianæ, qua parte possem, proficerem, & otij mei, iuxta Catonis antiquã sententiam, tibi quidem, rationẽ redderem. Qua in tralatione sic me gessi, vt sententiæ potiùs, quod interpretis esse scio, quàm verborum rationem haberem, & textum ipsum Gallicum nonnunquam iuuarem, quasique fulcirem, quod ij satis intelligẽt, qui fontem ipsum cum mea versione contulerint. Tibi verò, GENEROSE Adolescens, curid laboris, quicquid est, nuncupare debuerim, (vt illud interea dissimulem, me, cui in disciplinam, iam

annos aliquot es traditus, nihil non tuis ſtudiis, tuæque Generoſitati meritò debuiſſe) cauſæ ſunt non paucæ. Princeps, qui cùm egregiis corporis & animi dotibus, tanquam ſuis omnibus numeris eſt abſolutus, tum verò, ſic auitam Religionem piè colit, eamque pro aris & focis tuetur, vt hoc ipſo anno, quotquot Caluiniſmo infatuati eſſent, è ſuis finibus eiecerit. Vtinam verò Sereniſs. Lotharingiæ Bauariæque Principum, qui ambo ſunt inter ſe, arctiſſimo affinitatis vinculo colligati, permulti eſſent in orbe Chriſtiano ſimiles! Parentes ambo, qui ſic Catholicè vixerunt, ſic Catholicè diem ſuum obierunt, vt quem à maioribus, Dei cultum metumque, veluti per manus, accepiſſent, ad te, tuumque fratrem & ſorores, de teneris vnguiculis, & cum ipſo lacte tranſmiſerint. Patruus ille tuus, Petrus à Caſtelleto dum ageret in viuis Tullenſis Epiſcopus, qui ob fidem, pietatem, Religionem, eruditio-

ditionem, cæterasque ingenij dotes, sic, ætate florenti, CAROLO V. Imp. semper Augusto, fuit acceptus, vt in senectute, PIO V. optimo vereq; summo Pontifici gratissimus. Tua deniq; tota familia, sic in auitam Catholicamq; Religionem affecta, vt eius propugnandæ causa mortem oppetere, vitamque profundere, occasione data, non dubitet. Quæ profectò omnia te sic ad virtutis literarumq; studium, sic ad pietatis cultum, defensionem Catholicæ Religionis, & hæreseos odium accendere & inflammare debēt, vt quam vniuersis exspectationem de te dudum concitâsti, eam, vbi paulò pòst ad maturitatem perueneris, egregiè sustinere queas. Accipies igitur, Generose Domine, serena fronte, hoc munusculum, cum adiuncto Centone quasique Paralipomenis, in significationem obseruantiæ in te meæ, eoque, cùm tibi ab hæreticorum fermento diligentissimè præcaueris, tum aliis e-

tiam, in re non contemnenda, pari ratione gratificabere. Precor Dominum Deum, vt ad honorem sui nominis, Ecclesiæ, Reiquepublicæ vtilitatem, & familiæ tuæ splendorem, hanc T. G. adolescētiam ad felices rerum successus euehat. Vale, Dilingæ a.d.24. Augusti. Anno Epochæ Christianæ 1584.

EIVS-

EIVSDEM

GENEROSI BARONIS ANAGRAMMA.

CAROLVS A CASTELLETO
O STELLA LATE CORVSCA.

Macte igitur virtute, Patrem, Patruumque referto,
Jam nunc spe LATE STELLA CORVSCA *micas.*

IN ICONES BEZÆ, SIMVLque de hoc scripto vaticinium.

Hæreticos nobis depinxit Beza Dracones,
Quæ sat iam mundo cognita pestis erat.
Caluinum BOLZEC *nobis expressit, ab illo*
Forsitan effingi se quoque Beza petit.

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

CVM mihi nuper (amice Lector) allata esset hæc historia vitæ rerumq; gestarũ perditissimi istius hominis, magnoq; plurium animarum detrimento notissimi, ea tibi primo quoq; tempore communicãda visa est, vt facta eius, aliarumq; eiusdem farinæ, quæ hactenus in lucem prodierunt, comparatione, cum historia sanctorum Martyrum, vereq; seruorum Domini nostri IESV CHRISTI, facilius intelligas, quo spiritu afflati ducantur ij, qui his temporibus, seditiones & turbas, in Ecclesia Christiana, Catholica, & Apostolica concitârunt. Nam ea ratione, tibi persuadebis, non esse fidem cuicunq; spiritui facilè adhibendam, nisi probato iis indicijs quæ ab Ecclesia præscribuntur; Ne dum lucem sequi putes, in densissimas tenebras immer-

mergaris. Ex hac enim vna narratione perspicies, in communi hominum consuetudine, nihil tetrius esse, vel fœdius ipsorum vita et moribus. Quod si fructus ij, quos sua viuendi ratione, in commune asserunt, adeò spurci sunt & venenati; cuiusmodi tandem erit intima ipsa arboris medulla, hoc est, anima, & doctrina, ab eorum ingeniis excogitata & profecta? Nam in animam maleuolam non introibit sapientia, nedum in ea diu consistere morámue facere possit. Sed si cui mirum fortè videri potest, quòd hæc historia, viuente adhuc bestia, in lucem exierit, illud eo consilio factum esse intelligat, vt ipsi Bezæ liberum sit, ea flagitia & scelera, quæ plurima & grauissima, sine dubio, adhuc occulta sunt, in hanc narrationem conferre, vt eo mortuo, nihil desideretur eorum, quæ ad istius historiæ corpus integrum pertinebunt. Quod si, per occupationes, negotium non suscipit, rerum omnium commentarios saltem conficiat, eosq; nobis transmittat, ei nos, hac in re, omne nostrum studium diligentiamq; pollicemur. Interea, Lector, accipies, id quod

tibi

tibi damus hoc tempore, eoq; ad tuam vtilitatem, vtêre. Si forsan ibi sis, vbi exemplorum copia nõ suppetat, fac intelligamus. Curabimus enim ad te trãsferri, si modò viam nobis ad eam rem munieris. Scimus enim Geneuæ, et locis similibus, hunc, aliosq; bonos libros, qui à nobis proficiscuntur, non tam facilè reperiri, quàm pernicioſos & damnoſos, qui ex eorum officina prodeunt, et qui ad nos etiam importantur, nimia quadam effrænataq; licentia, omni legum seueritate coërcenda. Sed nimirum illud est, inter apes, quæ venenum in mella conuertunt, earumq; aluearia, in quæ suauissima illa sua, vtilissima, planeq; cœlestia munera recondunt, comperire licet araneas, quæ quantumuis optimis & fragrantibus thymis & floribus pastæ, nihil nisi venenum afferant. Vide, Lector, ne ex earum numero sis, néue tetro ipsarum halitu inficiâre.

Vale.

MAGNI-

I

MAGNIFICIS ET HONORATIS DOMINIS, SYNDICIS ET ADIVNCTIS MINORIS ET maioris Senatus Geneuensium: HIERONYMVS HERMES, BOLZEC, ipsis integer & syncerus amicus, optat felicitatem, sapientiam, diuinique Spiritus præsentiam.

DEVS in veteri Testamento (Magnifici Domini, Syndici honorifici) excitauit Heliam, qui tum Regi, tum imperitæ deceptæque plebi, constanter indicaret, modò in hanc, modò in illam viam minimè esse claudicandum: aut vlla ratione committendum, vt in plures sectas & opiniones diducerentur, sed modis omnibus enitendum, vt summa animorum consensione, vnam, veram, solam, synceramq;, vnius verique Dei religionem profiterentur, quam ipsis sua lege mandatisq; præscripsisset. Ac eo tempore, cùm Sacerdotes Baal & Pseudoprophetæ extincti essent & è medio sublati, idem Satanas mendacij pater, & schismatum dissensionumq; auctor, in eum populum

pulum ſeptem ſectas hypocritarum introduxit; qui vnum quidem Deum omnes confiterentur, eiusque legem (vt præ ſe ferebant) obſeruarēt, inter ſe tamen opinionum portentis diuiſi eſſent, ſimultates & inimicitias ſuſciperent & fouerent, & perfectiores ſeſe reliquis, in ſua quiſque ſecta exiſtimarent. Egeſippus Chriſtianus ſcriptor antiquiſsimus & venerandus, eas his nominib⁹ deſignauit, vt eſſent IESSÆI, GALILÆI, HEMEROBAPTISTÆ, MATHRITÆI, SAMARITANI, SADVCÆI, ET PHARISAEI: quorum opera & furore Satanas, magnos in eo populo motus, concertationes, controuerſias, & diſſenſiones excitauit, quæ curſum, ad Euangelij prædicationem vſq; tenuerūt: dum ille ipſe Satanas, vt veræ ſynceræque doctrinæ veritatis, tenebras offunderet, ſuis quibuſdam ſuperbis & arrogantibus miniſtris, vanas quaſdam & friuolas de articulis fidei, puriorique Dei verbo, diſceptationes & quæſtiunculas commoueret: quibus Eccleſia Dei quateretur, & mirum in modum turbaretur.

PRIMVS iſtorum, miniſtrorum inquam Satanæ, & tanquam inſtrumentorum, fuit impotentiſsimus quidam Epiſcopus, & importu-

portuniſsimus, nomine Theaubutus: cuius veſtigiis inſiſtentes complures alij exorti ſunt, qui varias de humanitate CHRISTI Seruatoris hæreſes inuexerunt, aliis verbum Patri conſubſtantiale eſſe & coæternum negãtibus, aliis, clam, aut etiam apertè vel humanam vel diuinam in CHRISTO naturam inficiãtibus. Principes verò & Hæreſiarchæ inter cæteros fuêre, Baſilides poſt Simonem Magum præceptorem, Menander Samaritanus, & Saturninus; qui mundum à Deo creatum fuiſſe pernegabant, itemq́; CHRISTVM in cruce eſſe paſſum, aut vllam fore carnis reſurrectionem. In eum credi, qui cruci ſuffixus eſſet prohibebant, iidemque homines cohortabantur ad omnem contemptum honeſtatis, morum, diſciplinęq́; & puritatis Chriſtianæ, eos idẽtidem inuitantes, ad omnem immũditiam & carnis illecebras, quas à ſuo illo præceptore didicerant.

HOS inſequutus eſt Carpocrates, qui ſimiliter creationem mundi tribuebat, non Deo, ſed Angelis, negabat diuinitatẽ CHRISTI Domini, & reſurrectionẽ carnis. Volebat inter Chriſtianos confuſam quandã & abominandam rerũ omnium communio-

nem intercedere, tollens ea ratione, & conuellens ordinem, quem principiò Deus in societate generis humani constituit: repudiabat institutionē sacram, honestatemq; coniugij, quod Sacramentum Deus initiò videtur eo fine instituisse, vt sanctam æternamq; Ecclesiæ cum filio Dei coniunctionem adumbraret. Docebat præterea, quò facilior sit & liberior in cœlum aditus, in omnibus omnium scelerum flagitiorumq; sordibus oportere volutari, totamq; legem vno verbo condemnabat.

CHERINTVS secutus est, qui eadem de creatione blasphemias aduersus diuinam maiestatem euomuit. Reuocabat in dubium, num quisquam vnquā circumcisus esset, CHRISTVM Dominum hominem esse tantùm, non etiam Deum & hominem asseuerabat; eum à mortuis nondum excitatum, sed paulò pòst excitatum iri somniabat, eiusque regnum in voluptate corporis, omniq; tetra & impura libidine futurum esse nugabatur.

SVCCESSIT Ebion, qui illa ipsa planè asseruit, cærimoniasque legis contendit esse obseruandas, quæ reuera vmbra tantùm & figura fuerunt earum rerum quæ essent

ſent conſequuturæ, quas ideoque CHRISTVS Seruator, ſuo in terram aduentu, morte, perpeſsione, & oblatione æterna in cruce, funditùs ſuſtulit, legemque adimpleuit.

POST illos erupit Marcion, qui blaſphemiis Cerdonis imbutus, tria principia, hoc eſt, tres eſſe Deos omni aſſeueratione contendebat, aiebatque CHRISTVM nihil, re ipſa, humanæ naturæ, præter ſimilitudinem quandam habuiſſe, neque in cruce paſſum eſſe, ſed pati ſe modò ſimulâſſe. Reſurrectionem etiam euertebat.

ARTEMON, cui adhæſit initiò, tandemque ſucceſsit Paulus Samoſatenus, CHRISTVM Dominum æternitate ſpoliabat, & per conſequens diuinitate, cùm, quod æternum non eſt, nec Deus eſſe poſsit. Lauacrum regenerationis eleuabat, tanquam ſignum quoddam nudum, nullaque virtute præditum, & quod gratiam vllam non conferret: ac propterea luſtralibus vndis tingebantur, ſi quando ad mentem redirent, Eccleſiamq; matrem agnoſcerent.

PRODIIT ex Acheronte Manes, inauſpicatus Manichæorum auctor, atque ope conſilioque Dæmonis, ſine dubio prodiit,

qui adiunctus illis, quos adhuc commemorauimus, Ecclesiæ Dei perniciem, ædificioque Christi ruinam moliretur. Docebat enim sceleratissimus, duo esse principia sibi coæterna, hoc est, duos eiusdem æternitatis potestatisq; Deos, alterum bonum, alterum verò malum: ac circa personam Christi Domini, errores Marcionis amplectebatur, ipsumque præterea in duas personas tribuebat: vnicam etiam & simplicissimam Dei essentiam, in tres essentias, quod erat perinde ac si tres Deos esse diceret, ac demùm quaternionem, quemadmodum de ipso refert B. Augustinus, constituebat. Paracletum esse se prædicabat, & cum prædictis, carnis resurrectionem destruebat, liberum esse homini arbitrium, Baptismumue conferre gratiam inficiabatur, neque Deo præpotenti, aras erigi, nomine Apostolorum vel Martyrum patiebatur, in euentis hominum & actionibus, necessitatem quandam fatalem, cum suis illis execrandis commilitonibus inesse confirmabat, eademque via Deum authorem peccati faciebat, perditionisque hominum æquè ac salutis.

Denique secutus est Arrius, qui cùm errorum,

errorum, quos antea Manichæorum principi adscripsimus, partem arriperet, eorum præsertim, qui ad sanctæ & indiuiduæ Trinitatis articulum attinerent, inficias ibat Patrem, Filium, & Spiritum sanctum eandem esse naturam & essentiam.

OMITTO cæteros cum suis erroribus, quorum maior est numerus, quàm vt huic tractatui inseri debeant. Iam quæso vos obtestorque (Magnifici) vt mecum recognoscatis, cuiusmodi errores & blasphemiæ, ex breui eorum catalogo, qui sunt à nobis commemorati, asserantur in Scholis, publiceque è suggestu Geneuæ, pro pura sanaque doctrina, doceantur & inculcentur à vestris Ministris, quos Dei Prophetas esse creditis, non minore diuini luminis splendore illustratos, quàm vnquam fuerint Apostoli.

Ac inprimis Basilides, qui in CHRISTVM cruci suffixum credi noluit, annón aliquid Ministris illis vestris contribuit, qui nullam personæ CHRISTI adorationem deferendam esse censent, ne, vt inquiunt, pro Creatore, creaturam sacrilego cultu prosequantur. Qua quidem in re, diuinitatem CHRISTI negant, cùm ipsius personam, puriè sim-

pliciterque creaturam eſſe dicunt. Deinde, ex eadem ipſorum doctrina, fides Eccleſiæ in CHRISTVM, pars eius adorationis eſt, quæ Deo Chriſtiana perſuaſione tribuitur. Cùm igitur perſonam CHRISTI, eiuſmodi cultu afficiendam eſſe negant, in qua ſine vlla ſeparatione ineſt vtraque natura, diuina & humana, conſequens eſt, eos ex animis hominum fidem in CHRISTVM fiduciamque reuellere. Quod è regione pugnat cum articulo ſecundo Chriſtianæ fidei, ex Apoſtolorum doctrina deriuatæ, quo docemur credere in IESVM CHRISTVM filium Dei & Seruatorem noſtrum.

SECVNDO loco non longè abeunt ab impudentia Carpocratis, qui impura flagitioſaque vita, viam in cœlum aperiri credidit. Nam modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotẽ è medio tollere, Sacramentumque pœnitentiæ, quo ſuſcepta in nos admiſſaque flagitia agnoſcimus, deformitatem eorum grauit temque intuemur, in odium noſtræ ipſius improbitatis exardeſcimus, & ſanitatem CHRISTI gratia recuperamus: tollere inquam hoc Sacramentum, quidnam aliud eſt, quàm homines Chriſtianos omni Dei metu ſoluere, &

in

in omne facinus confidenter impellere? Hoc loco conſiſtorium veſtrum allegabitis, ſed non eſt ita ſanè oculatum, vt ſecretiora magisque arcana flagitia poſsit ſpeculari. Dum in ædibus clam meretricia perpetrantur, dum veſtri ciues, cum vxoribus veſtris, adulteriis facinorosè polluuntur, aliisque ſceleribus (ſi quæ ſunt immaniora) contaminantur, ſiue re ipſa, ſiue ardentiore quodam affectu (concupiſcentia enim peccatum eſt, et ſi nuda ipſa concupiſcendi facultas vitio non vertatur) dum, inquam, in iis ſordibus volutantur, quamdiu factum diſsimulare poſſunt, veſtra illa cenſura cæcutiat, neceſſum eſt. Si quæ ſuboriatur de admiſsis ſuſcipio, pernegant, ipſique interea manent in peccatis, atque in iis tantiſper, dum ſperant fore clam, perſeuerant. Si in eo ſtatu mortem contingit oppetere, moriuntur æternæ damnationi obnoxij, neque morbo cuiquam patefacto, neque fructibus pœnitentiæ dignis exhibitis, aut expiatione ſcelerum remiſsionéue conſecuta. Neque enim cuiquam confertur abſolutio, niſi dolor animi ac deteſtatio ſcelerum antecedat, dolorem verò ipſa confeſſio, ſatisfactioque ſubſequatur. Itaq; libido,

cæteræq́; peſtes animorum, tamdiu inter vos aluntur atque retinentur, quamdiu in conſiſtorio veſtro neſciuntur. Quid ita verò ? quia nimirum qui peccatum admittunt, quacunque tandem ratione, ante vel poſt flagitium perpetratum illud non cogitant, Sacerdotibus Dei reddendam eſſe rationem, quibus CHRISTVS ſoluendi aut etiã ligandi, in terra, fecit poteſtatem, ea lege & conditione, vt quicquid hîc, pro ſua in animos iuriſdictione ſtatuerent, illud in cœlis ratum fixumq́ue haberetur. Hærent in cœno ſuorum ſcelerum, in eoq́ue computreſcunt, nulla vulnerum ipſis adhibita medicina, nulla flagitiorum deformitate in oculis & adſpectu propoſita, qua in odium dedecoris admiſsi concitentur.

DOCTRINA igitur Caluini, Bezæ, & reliquorum Miniſtrorum, præſcriptaq́ue vobis diſciplina, eo demùm fine videtur eſſe cõparata, vt ad omne flagitij genus in ſe ſuſcipiendũ homines inuitentur, modò clanculùm & ſecretò perpetretur. Nam cùm homines, ſuapte natura, lõga Dei exſpectatione patientiaq́ue facilè abutantur, illud minimè in animum inducent, vt à vitiis abſtineant, ſi perſuaſum habeant, non eſſe reddendam

dendam Sacerdotibus Dei de occultis rationem. Eam ob rem, illa doctrina, ab errore insaniaque Carpocratis re ipsa & in substantia (vt ita dicam) nihil differt, in modo tantùm & formâ dissimilis esse videtur. Carpocrates enim furorem illum suum directò planeque enunciabat; Caluinus verò vester eiusque sectatores latenter & obliquè, transformantes se in Angelos lucis, tegentes mendacium, & velut obducentes veritatis inuolucris.

Doctrina atque disciplina Ecclesiæ Catholicæ, quæ Romana dicitur, vt ea nimirum quæ est à Deo, opera Spiritus sancti, Prophetarumq; & Apostolorum ministerio profecta, est sanctissima, vtilissima, & homini ad salutem omninò necessaria. Per confessionem enim, & saluberrimum hoc pœnitentiæ Sacramentum, eos animaduertimus, qui in peccata lapsi sunt, ad Sacerdotis pedes abiectos, consiliisq; salutaribus admonitos, primùm omnium, quod longè maioris est momenti, quàm si fiat tantùm generalis confessio, in odium turpitudinis admissæ concitari, & à libidine ad officium reuocari: deinde accepta venia, Christi instituto, qui in Ecclesia Sacerdo-

tes ea præditos eſſe poteſtate voluit, domum redire ſui compotes, læta, tranquilla pacataque conſcientia: memores tamen culpæ, & ſic affecta mente, vt tam turpiter lapſos eſſe, atque Dei præpotentis legem voluntatemque violâſſe, perpetuò doleant. Ita fit, vt & conſcientiam obtuſam & ſtupidam domum minimè referant, ſed pudore ſcelerum perculſam acriter, & impendentis diuini iudicij metu vehementer incitatam. Neque verò propterea, ex ea recordatione in deſperationem adducuntur, ſed erecta ſanataque, per adeptionem veniæ conſcientia, fructibus pœnitentia dignis exhibitis, ea mente atque propoſito, vt vitam in melius deinceps commutare velint, totos ſe infinitæ Dei miſericordiæ committendos eſſe credunt. Verè hoc affirmare poſſumus, multos, qui minùs quàm par eſſet, zelo amoreque Dei inflammentur, à peccandi conſuetudine deterreri, pudore verecundiaq; culpę, ſi facinus admiſerint, Sacerdoti retegendæ. Atq; hoc frænum, ad coërcendas hominum libidines, in Eccleſia Dei fortiſsimũ iniicitur, quo remiſſo vobis laxatoq; mirum non eſt ſi inter vos, qui breui numero eſtis, multò plura, maioraq;

ſcanda-

ſcandala indies oriantur, quàm inter Catholicos, qui veſtrum numerum infinitis propè partibus excedunt. Prętereà illud eſt, quòd inter vos, metu, nõ pudore, aut amore virtutis, à vitiis abſtinetur, plus iudiciorum ciuilium formidine, quàm timore numinis, vt vobis homines terrori ſint, Dei metum omittatis: Quod neq; Chriſtianum eſt, neque religioſum, ſed Atheiſmi genus & impietatis.

QVOD ad reliquos hæreticos attinet, qui ſunt á nobis ſuprà commemorati, cum ipſis etiam Miniſtri veſtri conſentiunt. Primùm quidem in articulo ſanctiſsimæ, ineffabilis, & indiuiduæ Trinitatis. Nam cùm Caluinus, & cæteri veſtri poſt illum prædicantes, aiunt: Filium, ſecundam perſonam in hypoſtaſi Trinitatis, habere ex ſeſe eſſentiam, non à Patre, atque pariter Spiritum ſanctum: nónne hoc ipſo vnicam ſimplicemq; Dei eſſentiam in tres eſſentias partiuntur, ac eo pacto, tres Deos, triaq; principia cum Cerdone, Marcione, &c. faciunt? & cum Ario Filium & Spiritum ſanctum, eſſe vnã eam eandemq; cum Patre naturam & eſſentiã inficias eunt? Similiter cùm perſonæ CHRISTI Domini cultum adoratio-

nemq;

nemq́; Deo debitã ſubtrahunt, nónne cum Cherinto, Ebione, &c. negant, diuinitatem IESV CHRISTI Seruatoris, hoc eſt, negant CHRISTVM naturâ eſſe Deum, atq; in hac eius vnica eademq́; perſona, duas, ſine vlla ſeparatione, ineſſe naturas, diuinam videlicet & humanam? Nam cùm CHRISTVS Dominus Deus & homo ſit in vnica eademq́; perſona, minimè deneganda fuit adoratio illi vni eius, eidemque & ſoli perſonæ, vbi omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat.

PRÆTEREA dum Caluinus, Beza, cæteriq́ue veſtri Prophetæ, qui ſuum dogma, ab illis duobus acceperunt, Baptiſmum ſignum quoddam eſſe profitentur ita nudum & vacuum, vt gratiæ conferendæ, nullam vim habeat: an non ſubſcribunt erroribus, Arthemonis, Pauli Samoſateni, & Manichæorum? Simili ratione, cùm liberam homini voluntatem eripiunt, atque è prædeſtinatione Stoicam quandam neceſſitatem eliciunt, in omnibus hominum actionibus, quæ ad eorum ſalutem, condemnationémue referuntur, nónne cum omnibus illis Hæreſiarchis planè conueniunt, vt, quemadmodum illi, Deum autho-

thorem peccati faciant, flagitiorum effectorem, authorem perditionis hominum; Vsq; adeò, vt ipsum, alterã generis humani partem, æterno supplicio destinâsse, in eumq́, finem ab eo creatã & productam esse, impio blasphemoq́; ore pronuncient?

Deinde cùm Caluinus, Beza, & reliqui eiusdem farinę, qui ad suam vestramq́; confusionem vobis imponunt, Deo templa & altaria nomine sanctorum Apostolorum & Martyrũ erigi & consecrari molestè ferunt, eaq́; furẽter euertunt, demoliuntur & disiiciunt, nónne eadem, qua olim Manichæi, ducuntur insania? D. Augustinus, qui ante annos circiter mille ducentos, vixit in Ecclesia, querelam hanc aduersus sui temporis Manichæos disceptauit: vt erigi Deo aras, & templa nomine sanctorum Apostolorum & Martyrum institui, minimè nouum sit, sed ab ipsa primitiuæ Ecclesiæ infantia repetitum, per ipsius primarios Antistites & Pastores susceptum, posterisque transmissum. Quod tamen institutum sanctissimum illi vestri Doctores, abolere vobis, & Donatistica rabie quadam disiicere persuaserunt, vt Deo, inter vos, altaria non sint amplius, neque Sacerdotes, qui, ad vestram

ſtram ſalutem, ipſi, ex eius voluntate præſcriptoque, ſacrificent.

En Euangelium! (Magnifici) en puram doctrinam, quæ vobis per Miniſtros annunciatur! En reformationẽ diſciplinamq; vobis præſtitutam! En blaſphemias execrãdas & errorum portenta, aduerſus vnicam, omnipotentem, æternam, & infinitam diuinam eſſentiam; aduerſus perſonam Christi, Domini & Seruatoris noſtri, Verbi (inquam) diuini à Patre geniti, ante omnia ſecula: aduerſus purum putum Dei verbum: aduerſus myſteria noſtræ redemptionis & ſalutis: aduerſus deniq; gloriam & honorẽ æterni & præpotentis Dei. Hæc, inquam, quotidie in vrbe veſtra, audientibus & inſpectantibus vobis, à veſtris illis Miniſtellis & prædicantibus horribiliter euomuntur, quorum partes etiam cauſamque ſuſcipitis, errore forſan imprudentiaque ducti, vt qui res illas planè cœleſtes & diuinas, ac tanti ponderis & momenti nõ intelligatis. Animalis enim homo & ad paſtum abiectus, nõ ſentit ea quæ Dei ſunt, quæque ad ſuam ſalutem pertinent facilè non perſpicit.

Verumenimvero, huius ſæpe rei fuiſtis admoniti,

admoniti, planeq́ue intelligitis, quæ veſtris ceruicibus calamitates impendent ni reſipiſcitis. Hoc enim frequenter audiuiſtis, cùm ab iis, qui gratiâ benignitateq́ue Dei conſtantes in fide Chriſtiana, veraq́ue Apoſtolica & Catholica Eccleſia Domini noſtri IESV CHRISTI, permanſerunt: tum ab iis, qui olim, vti iam vos, ſeducti, ad vos trãſfugerant, indeq́; poſtea, pœnitentia ducti, perſpectaq́ue veritate, deſertis Caluini caſtris, in gremium matris Eccleſiæ Apoſtolicæ & Catholicæ, tanquam poſtliminio ſeſe receperunt. Memoria tenetis, opinor, hac in parte, quàm officiosè vobiſcum egerim, qui anno ſaulutis, 1532. pro concione publica, in templo D. Petri Caluinũ, dùm ibi vnà cum Collegis eſſet, Chriſtianè admonuerim, expreſſaq́ue Scripturarum auctoritate, & veterum Patrum ſententia arguerim: quod ipſum, me planiùs adhuc perfecturum confido, apud omnes, qui ſpiritu Dei zeloq́ue incitati, veritatis & puræ doctrinæ intelligentiam appetunt, neq; ſe occupari permittunt, aut præpediri erroneis impoſtorum, Miniſtrorumq́ue Satanæ opinionibus.

POST illos demùm hæreticos prodiit Pelagius,

lagius, qui aſſumptis duobus aſſeclis, aduerſus gratiam Dei hæreſin diſſeminauit. Secuti ſunt poſteà infiniti homines temerarij atque leuiſsimi, qui diſſenſionum rixarumq; authore ſpiritu concitati, varia ſchiſmata induxerunt, quidam circa rationem modumque procedendi ſancti Spiritus, alij circa Sanctorum interceſsionem atq; preces pro mortuis ſimilesq; plurimas vanas & curioſas quæſtiunculas, quæ nihil ſecum aliud afferunt, quàm diſcordiam, inutilesq; aduerſus Dei gregem diſceptationes, ad pacem Eccleſiæ Dei conſenſumq; infringendum. Quæ friuolæ omnes ac euanidæ quæſtiunculæ, hac tempeſtate, ſuaſu Diaboli recruduerunt, per ambitioſos quoſdam, elatos, peruicaces, obſtinatos, & imperitos (cuiuſmodi Miniſtri, vt plurimum, eſſe conſueuerunt) aduerſus quos, permulti huius ętatis magno ingenio, ſummáque eruditione viri ſtylum acuerunt, atq; etiamnum aſsiduè acuunt. Has nimirum Satanæ technas, D. Paulus multò antea perſpexerat, qui cap. 11. prioris ad Corinthios, ſcribit in hæc verba: *Timeo* (ait) *ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua; ita corrumpantur ſenſus veſtri, vt excidant à ſimplicitate, quæ eſt in* CHRI-

STO

STO IESV. Enimuerò hac mundi ſenecta, in quam incidimus, videntur poteſtates omnes inferorum copias coniunxiſſe, ſuasque fraudes & cautelas congeminâſſe, ad euertendum, pacem, tranquillitatem, amorem, & animorum coniunctionem, quæ in CHRISTI membris, & Eccleſiæ filiis à Deo Patre exigitur.

SED magiſtratibus ego, cùm politicis, tum Eccleſiaſticis, vitia cognoſcenda puniendaq; relinquo, morumq; deprauationem in omni hominum genere atque ſtatu, quæ inter eos, qui Chriſtianos eſſe ſe profiterentur, hodie tanta eſt (proh dolor!) vt in omni turpitudine ſcelerum, flagitiorumq; fœditate, Turcas & infideles antecedant. Quod inſtantem viciſsitudinem quandam, ſeueramq; Dei manum portendere minitariq; videtur, qui noſtrorum ſcelerum pertęſus, breui, ſupplicium, non modò de plebeis & infimæ ſortis hominibus, ſumet, verùm etiam, & maximè omnium Superiores, Prælatos & Præfectos malè multabit, qui nimiùm negligentes, deliniti voluptatum illecebris, ſuæque libidini ſeruientes, altum dormiunt, non ſine magno glorię Dei contemptu, ſupinaq; in ſuo munere obeundo

negligentia. Hæc, inquam, omitto, illudq́; vnũ vrgeo, quod noſtris temporibus Reip. Chriſtianæ, atque Eccleſiæ Dei imminere maximè videatur. Singulari enim quodam aſtu Satanæ factum eſt, vt omnes penè hæreſes, opiniones, & ſchiſmata, quæ à prędicato annunciatoq́; Dei verbo, vſpiam, toto orbe terrarum filios Eccleſiæ conturbârunt, queq́; à ſanctis olim Patribus & Doctoribus, Apoſtolorum ſeculo viciniori-bus damnata ſunt, & egregiè confutata, in lucem, hac ætate, reuocentur, vt in religionis negotio tot iam ferè ſint ſectæ ſententiæque, quot capita.

QVIDAM ſunt Lutherani, alij Huſsitę, alij VVicleſiſtæ, alij Zvvingliani, alij Oecolampadiani, alij Melanchthoniani, alij Donatiſtæ, quidam Anabaptiſtæ, alij denique Caluiniani. Immò verò præter iſtos ex Britannia (Angliani appellant) & Ibernia, ab hinc duobus tribúſue annis, Puritani ex Acherontis cloaca eruperunt: qui omnes opinionum diſsidiis inter ſe conflictantur, atq; in omni cærimoniarum & traditionũ ratione, animisq́; internè, ita furiosè inter ſe dimicant & confligunt, vt ſuam quiſque vanitatem, beatam eſſe ſolam exiſtimet, a-

lierum

liorum verò ſectam ſuperbè & impotenter aſpernetur. Quanquam in hac vna re bellè cõueniunt, vt aduerſus Catholicam Romanamque Eccleſiam nefariè conſpirent, ipſi contradicant pertinaciterque reſiſtant, ac poteſtati in reliquas Eccleſias ipſi à Deo dudum attributæ, ſimulq; Prælatorum & Paſtorum dignitati, omni conatu, ruinam perniciemq; moliantur. Verùm, hæc in omnibus omnium temporum hæreticis fuit animaduerſa arrogantia & temeritas, vt teſtis eſt B. Cyprianus Carthaginẽſis Epiſcopus, qui pro fide Catholica ſuum ſanguinem fudit, & circa annum ſalutis orbi reparatæ 258. & 259. in Eccleſia vixit: qua de re illius ipſa verba huc afferre non pigebit, ex epiſt. 65. ad Rogatian. *Hæreticorum (ait) hæc ſunt initia & ortus: & conatus ſchiſmaticorum malè cogitãtium, vt ſibi placeant, vt Præpoſitum ſuperbo tumore contemnant: ſic de Eccleſia receditur, ſic altare prophanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti & ordinationem atque vnitatem Dei rebellatur.*

REPERIVNTVR etiam hoc tempore Athei & Achriſti, qui tacitè vetus & nouum Teſtamentum irridẽt, neq; propterea, quę ipſorum eſt ambitio & auaritia (à quibus om-

nium malorum eſt ſcaturigo) dignitates & beneficia Eccleſiaſtica ardentiſsimè ambire, venari, aucupari, perſequi deſiſtunt, aduerſus quod hominum genus meditatum iam & lucubratũ habeo opuſculum, quod, ſi Dei benignitate mihi adhuc aliquandiu vita ſuppetet, propediem exibit in vulgus, ſuisq; illi, vt exiſtimo, coloribus tam expreſsè diſtinguentur, vt quinam illi ſint, ne nominati quidẽ, facilè cuiuis innoteſcat. Sed meum hoc inſtitutum duo hominum genera condemnant, quorum alij ſunt diuerſarum partium œſtro pciti, atq; ita Doctoribus ſchiſmaticis, & ſectariis copulati, vt iis perinde eueniat, quod olim de artium liberalium, prophanarumq; diſciplinarum ſectiſtis memoriæ proditum eſt. Nam vt pręclarè ſumma eruditione, magnáque auctoritate viri animaduerterunt, præcipuè verò Galenus in lib. de Sectis: Omnes qui poſthabita ratione & neglecta veritate, certis præceptoribus certas erroneas opiniones propugnantibus ſeſe dediderunt, tanto ſectæ ſtudio exardeſcũt, velut aliquo Cyrcęo poculo incantati, bonorum & fortunarum amiſsionẽ omnium, exilium, mortem parentum, orbitatemq; faciliùs ferant, quàm vanitatis illius

illius ruinam, cui se semel addixerunt. Scio equidem, quanta sit maleuolorum istorum in me inuidia, sępe maximo meo damno, & penè vitę periculo expertus sum, qui vniuersi in me ita impetum faciunt, quòd eorum me Doctoribus opposui, pernicioſamque illorum doctrinam confutaui. Sed adiutorē habeo Deum, qui me hucusq; sua sancta prouidentia & gratia ab eorum insidiis eripuit, cui æternas habeo immortalesque gratias, & cui gloria, in secula seculorum. Alij qui meum hoc, in impugnandis hęreticis, studium parum probant, sunt sapientes huius seculi, qui vni me vacare Medicinę satius fuisse contendunt, quàm hisce me controuersiis immiscere, alienisq; à mea ꝓfessione rebus implicare, è quibus nihil præter odium quoddam Vatinianum & implacabile, summamq; aduersariorum inuidiam reportare queam.

VERVM, vt iis opinionibus breuiter respondeam, quis tandem ille est qui probi viri nomen, & amici minimè fucati personam sustinere possit, qui, si fures ad ædes vicini scalas admouere, furari, & prædari senserit, non statim summa contentione vocis, eos, qui domi sunt, excitârit, & vt à furi-

bus caueant, monuerit? Aut quis demùm ille ſeruus eſt, ſi modò fidus, & acceptorum à Domino beneficiorum memor exiſtimari velit, qui ſi Domini ſui hoſtes perſpexerit, hinc quidem facultates diripere, illinc familiam veneno tollere, liberóſue eius alea, libidine, perpotationibus corrumpere, ira ſubitò non accendatur, tantasque iniurias propulſet intrepidus, etiam cum capitis vitæque diſcrimine? Prophetæ omnes veréq; ſerui Dei olim in veteri inſtrumēto, ſic animo affecti fuêre, vt miniſtrorum Satanæ & Pſeudoprophetarum, qui populo Iſraëlitico imponerent, contumelias perpeti non potuerint, ſed iis acriter, neglectis Potentatibus & Regibus, ſeſe obtulerint, & mortis ſupplicium, ad maiorem gloriam præpotentis Dei, & populi ędificationem libentiſſimè ſubierint: CHRISTVS Dominus ipſe, quem nobis ad imitandum, quantum fieri poteſt, proponere debemus, qua grauitate & conſtantia, Principes Sacerdotum, Scribas & Phariſæos coarguit, eosque hypocritas & diris deuotos ſępiùs appellauit. Quid? nónne Apoſtolis illud & diſcipulis toties inculcauit, vt vitioſos & facinoroſos inſectarentur acriùs, pudorem mundi & verecun-

cundiam parum religiosam abiicerent, mortemque ipsam contemnerent? Verissimè, inquiens, seruum non esse supra magistrum, qui si vexatus modis omnibus fuisset, fore vt ipsi quoque in hac mortali vita mirificè vexarentur.

Istis igitur mundi huius sapientibus, quibus cùm flagitiosorum hominum, tum verò hæreticorum & verbi Dei sophistarum reprehensio & censura tam grauis & acerba visa est, vnus sua meáque causa Diuus Paulus satisfacit, qui ad Galatas cap. 1. Deo se, cui seruiret, non hominibus, placere cupere scribit, & prioris ad Corinthios, cap. 9. *Euangelizandi*, ait, *necessitas mihi incumbit, væ enim mihi si non euangelizauero.* Quod cum beato Paulo debet vnusquisque profiteri, qui doctrinæ & scientiæ munus, coniunctum cum zelo Spiritus sancti, concessu diuini numinis acceperit. Quotus enim quisque, pietatis oculis aspexerit, hinc quidem mundum adeò corruptum, & omni flagitiorum genere diffluentem, illinc verò diuisum diductumque in infinitas hæreses & opiniones erroneas, opera ministrorum Satanæ, in orbem vniuersum sparsas & disseminatas, in contemptum ac vitu-

perium diuini nominis, & perniciem imperitæ multitudinis: quotus, inquã, quisq; hæc aspexerit, adeò meritis in se gratiæ Dei non respondens, adeò spiritui sancto rebellis, & suæ ipsi conscientiæ inhumanus, qui dolorẽ inde maximum nõ sentiat, & perditissimos atq; profligatissimos hosce homines non lacessat & insectetur, contendatque neruis omnibus, vt, quoad eius fieri potest, hæreses conuellat & extirpet, atq; conatibus hæreticorũ, ministrorumq; Satanę sese obiiciat, q orbem Christianum deploratis istis temporibus in extremã miseriam coniecerunt. Ad me quod attinet (Magnifici Domini) testis est mihi Deus, si vel amicitia, vel priuatum cuiusquam odium, me in concionẽ vestram produxerunt, vt doctrinæ resisterem, quæ tum à Ministro, pro suggestu, populo traderetur, ac non potiùs feruor zelusque gloriæ Dei, atque veritatis, transuersum me rapuerit, in quarum gratiam, mundum ipsum totum flocci non facio, ac vitã ipsam profundere sum paratus, si eam esse Dei voluntatem intelligam.

Scripsi antea, & in lucem emisi breuem tractatũ, de vita, moribus, & morte Ioannis Caluini vestri olim doctoris, & ministri

ſtri ſingularis, cui delatæ vobis Reformationis Euangelicę honos eſt attributus, quo titulo cæteras oēs nationes anteire putatis. Res tamen ibi omiſſa eſt, vt memoratu ſanè digna, ita multis, etiam popularibus veſtris, adhuc hodierno die, ſine dubio, notiſsima. Fuit enim quidam, nomine Vignero, ex defuncto Domene Faure, in ædibus ſui Domini Geneuæ obſeſſus à Diabolo, ab eoq; miſerrimè diuexatus. Rē vbi Caluinus accepiſſet, magna turba ſtipatus eò ſe contulit, qui poteſtatem atque munus ſibi arrogans, quod ſuis Apoſtolis, vereque filij ſui miniſtris Deus reſeruauit, nimirum eiiciendi Dæmonis, & obſeſſum ab ea miſeria liberandi, ei perinde contigit ac ſeptem Sceuæ liberis, de quibus S. Lucas Actorum c. 19. Deus enim qui mendacij teſtis eſſe neque vult, neq; poteſt, permiſit Spiritui vt afflictum hominem in pedes erigeret, ac tam furenter, tantoque cum impetu, pugnis, vnguibus, pedibus & dentibus in ſanctum Prophetam Caluinū irrueret, quantumuis ea turba frequens, quæ aderat, obſiſteret, vt fœdiſsimè tuſus, cæſus, morſus, laceratus & diſcerptus, ægrè tandem manus eius euaſerit. Qua quidem ex re facilè

potuit intelligi, eum talem non fuiſſe, qualé eſſe ſe maximè diceret, verè ſcilicet Dei ſeruum, & miniſtrum IESV CHRISTI noſtri Seruatoris.

IN eo ipſo tractatu receperam, me paulò pòſt exhibiturum hiſtoriam, de vita, moribus, rebuſque geſtis Theodori Bezæ, ipſius Caluini ſucceſſoris, veſtriq; iam Archiminiſtri: quem vnum eius diſcipuli, doctrinæ gloria reliquis hominibus huius ætatis anteponunt, atque ipſe ſe talem eſſe thraſonicè gloriatur in ſuis quibuſdam ſcriptis, ſub larua tamẽ & perſona fictitij cuiuſdam Theopſaltis. Neque enim ſuppoſititio illo partu, ſimilibúſue ſuis nugis, cuiquam noſtrûm facilè ſe putet imponere, ſed idiotis tantùm & Aſellis ſibi creditis, & pecori miniſtellorum Arcadico. At enim ſuis ille verſutiis & crebris impoſturis, quarum artifex conſueuit eſſe mirificus, hactenus editionem tractatus illius retardauit: ſed hoc tempore nihil efficiet (Deo propitio) quin breui hac narratione veniat in manus hominum: quam & vobis inſcribere, & ab eorum rebus geſtis & moribus exordiri viſum eſt, vt ea ipſa res fidem faciat, quamnám tandem doctrinam ab iis acceperitis, aut

quam

quam ſanctam Euangelij reformationem, vobis, & ciuibus veſtris importârint. Etenim, vt eſt in veteri prouerbio, noſcas ex vngue leonem, & ex opificio artificem: ac (vt CHRISTVS ipſe, veritatis omnis auctor, in Euangelio) ex fructu natura cognoſcitur arboris, & velut indoles, ſiue ea bona ſit, ſiue mala: Fieri enim nullo modo poteſt, vt arbor mala, bonum fructum ferat. Itaque ſi cuiuſmodi eorum mores & tempora fuerint acceperimus, faciliùs, opinor, inde coniecerimus, quam vos ab eis doctrinam, quamque diſciplinam hauſeritis, ſi modò negotium hoc ratione ſuſcipiemus, quæ quaſi quidam radius eſt ſolis cuiuſdam ſupernaturalis, diuinitùs à Deo mentibus noſtris ingeneratus & inſitus, vt homines, ad ipſius normam & amuſsim, omnes ſuas actiones temperent atque moderentur. Si enim illud acciderit, vt affectu potiùs, homo, quàm ratione moueatur, toto vitæ genere quidem, à beſtiarum natura nõ aberit, phantaſia verò & opinione, à Iudæo nil diſtabit aut à Saraceno; qui quam à parentibus initiò cum lacte nutricis perſuaſionem imbiberunt, eam mordicùs tenent, ac pro aris & focis tuentur, atque huiuſcemodi omnium,

mnium, qui schismate sese obstrinxerunt, solet esse religio. Antequam autem ad historiam Bezæ vitamque aggrediar, non abs re fortè videatur, si vos ego cohorter, vt vobiscum habitetis, & rationem ineatis, ex eorum recepta consuetudine, qui plus cæteris sapientia & prudentia valere iudicantur. Statum vrbis vestræ consideretis quàm immutata sit, atque adeò imminuta, ab eo die, quo bellam hanc reformationẽ, in qua gloriari soletis impensiùs, intra mœnia receperit.

PRIMVM omnium, vt in hunc campum paulò liberius excurram, exemplar esse solita est, reliquis vrbibus inter Allobroges (Sabaudos vocant hoc tempore) virtutis, pietatis, & doctrinæ, vt quę copiosa esset, atque eruditissimis hominibus, & liberaliter institutis afflueret, qui facta hac mutatione, statim auolârunt, & turpissimis simul ac indoctis hominibus cesserunt. Neque enim potest virtus diu cum ignorantia consistere, cùm ferè ignorantes æquè sint, & peruersi, & aduersus eos, in quibus aliqua virtutis significatio conspicua est, coniurati. Secundo loco, nulla tum fuit vrbs, in qua maior esset annonæ copia, aut in qua viliùs

omnia

omnia venderentur, sed irrumpentibus eò sub prætextu religionis, ex omni regione peregrinis, omnia cariùs æstimari cœpta sunt, atque vix etiam precio summo, satis commodè reperiri. Heluones enim & lurcones, verè libertini, & abdomine nati, quicquid in forum adferretur, statim intercipiebant, vt ea res murmurandi ciuibus occasionem præbuerit, cùm potentioribus, tum etiam obscurioribus, aduersus illos peregrinos, qui se, adductos Spiritu, eò confluxisse dicerent, sanctioris puriorisque vitæ gratia, & reformationis Euangelicæ: qui tamen ad pastum natura abiecti, suarumque libidinum serui esse cernerentur: Sed ea de re à me satis dictũ est in vita Caluini, cui lautissima quæque asseruari, & vina esse in cellis generosissima solita sunt, vt testes adhuc esse queant, si qui sunt senes Geneuæ, qui ea tempestate florebant.

Redeo ad faciem vrbis vestræ, ab illa reformatione mirificè deformatam: Tum enim Geneua facta est sentina, receptaculum & cloaca omnis generis hominum sceleratissimorum ex Galliis, Flandria, Italia, &c. ob perpetrata à se flagitia & scelera profugorum. E quibus alij essent fures, latrones,

trones, decoctores, qui bonis cesserant, alij falsarij, falsi testes, periuri, monetæ adulteratores: vt infinitam Apostatarum turbam silentio prætercam, qui surreptis crucibus, vasis sacris, aliaque suppellectile argentea illius sacræ Domus in qua vitam olim sanctissimam professi essent: aut expugnatis per vim honestissimis matronis, vel stupro flagitiosè virginibus illato (vt auersæ libidinis accersiti obruantur obliuione sempiterna) ad vos, sub colore reformationis Euangelicæ turmatim confugerunt.

SED, vt tota res manifestio[illegible]positione exemplorum euadat, duos [illegible]tronibus & falsariis appellabo, in suo genere maximè nobilitatos & insignes. Ville-Mongis, cuius tragœdia satis ex eius cæde orbi cognita est, qua iustissimè Ambrosij in ea cõiuratione occubuit, quam instigante Caluino & Beza, aduersus Franciscum II. Galliarum Regem, suumque Principem nefariè molitus est: Quam neq; probare se, neq; verò promouere, satis ex eo Deus iudicauit, quòd coniurati intercepti, meritas credulitatis, perfidiæ, nequitiæque pœnas exsoluerunt. Ille ipse Ville-Mongis ad vos se recepit, cùm in capitis discrimen venisset

ob

ob dissimulatas à se literas Regias, ementitumque sigillum, quod adhuc hodie constare potest ex instrumentis & processu iuridico iudiciario, aduersus ipsum in Senatu Diuionensi instituto. Nicolaus de Fer Hannoyer, cessit bonis Antuerpiæ, spoliatis ea ratione multis bonis viris & mercatoribus, Geneuam in Asylum se contulit, & secum magnum auri pondus asportauit: veritus tamen ne creditores insequerentur, & ab iis, quod abstulisset, turpiter euomere cogeretur, Caluinum adit, & communicata cum Propheta, diuisaque præda, consilium petit, quo sese faciliùs ab iis angustiis explicaret. Paulò pòst igitur suasu hortatuque Caluini, ex ea furtiua pecunia, molẽdinos, prata, vineas, agros sibi comparat, verùm non suo, sed coniugis duarumque filiarum nomine, quarum minorem natu Antonius Caluinus, aut veriùs Chauuinus, Prophetæ frater ilicò duxit in vxorem, quam postea repudiauit. En prætextum persequendæ vestigandæq; reformationis Euangelicæ t

Sed animaduersione dignior adhuc est alia in vrbe vestra mutatio, ex occasione reformatorum huiusmodi: nam ex florente olim vrbe, nobili & magni nominis, euasit

ſit non modò ſpelunca latronum, vt iam oſtenſum eſt, verùm etiam impudiciſsimorum hominum, atque meretricum proſtibulũ & lupanar: immò verò & mœchorum, & adulterarum mulierum, quæ relicto marito deſertisque liberis, quò liberiùs cum ſuis adulteris & nequiſsimis hominibus libidinem expleant, prætextu reformationis ad vos ſeſe receperunt. E multis, vnam vobis Dominam de Clelles in medium proferam, quæ defuncti Montbrun ſoror fuit. Ea cuidam Comiti Iulio d' Athiene Vincentino proſtituta, ex ædibus mariti, qui Dominus de Clelles apud Delphinates erat, eo abſente profugit, illum ſuum ganeonem Iulium ſecuta, amotis ſurreptisque & conuaſatis rebus omnibus, quas vndique corradere potuit, atque ad vos Geneuam aufugit: quo loco ipſe ille Dominus de Clelles, cùm rem tam flagitioſam ſeueritate legum vindicari peteret, hoc à Præfectis Cõſiſtorij veſtri reſponſum tulit, quò poſſet ſeſe recipere, ſibiq; aliam, ſicubi queat, coniugem adſciſceret; illam enim ganeone commemorato remanſuram. Res deteſtanda quidem! ſed cuius Maſconij contigit non prorſus abſimilis. Ex ea enim vrbe, legi-

legitima coniunx ciuis honesti cuiusdam, cui nomen, de Pise, relicto marito & liberis, similiter Geneuam adiit cum suo Mœcho, nomine Contour, cuius flagitij pœnas, cum iudicio maritus persequeretur, neque ipse, neq; sua causa quisquam alius à vobis obtinuit. Atqui res execranda est & detestabilis, suppliciis omnibus expianda, sacris literis nominatim interdicta, omni iure, omniq́ue damnata consuetudine, quam neque Turcæ, neque infideles ferrent, qui consistent aduersus vos in horrendo illo supremoq́ue Dei iudicio. Itaque, Magnifici, Domini honorifici, prudentiæ summæ fuerit fortasis, hæc trutina examineq́ue rationis & maturi iudicij expendisse, ac salutaria Spiritus sancti præcepta ponderare, iis Diuino concessu ac munere permissa, qui ad præscriptum legis Euangelicæ vitam instituunt, & affectu toto, viam æternæ vitæ & salutis insistunt. *Contouri adulterium.*

PRIMVM omnium diligẽter ea sententia animo & cogitatione lustranda est, quã nobis Rector vniuersi Deus, ministerio B. Ioannis relictam esse voluit, primæ Canonicæ c. 4. (*Charissimi, nolite omni spiritui credere,*

sed probate Spiritus si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum, loquentes. & significantes, quemadmodum ex vsu est Prophetis, tempus futurum pro præterito. De istis Pseudoprophetis scribit D. Paulus, posterioris ad Corinthios, cap. 11. *Nam eiusmodi Pseudoapostoli* (ait) *sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos* CHRISTI. *Et non mirum, ipse enim Satanas, transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur veluti ministri iusticiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.* At enimuerò, vt faciliùs perspici, & à veris, rectis & synceris distingui possint, communibus animis, & ardentissimis votis, Dei gratia continuè nobis est imploranda. Audiendus & D. Paulus, primæ ad Thessalonicenses, cap. 5. qui nos admonet in hæc verba: *Spiritum nolite extinguere*, hoc est, receptas semel opiniones erroneas mordicùs tueri, aut eis adhærere perpetuò, quod Turcis solemne est, Iudæis, hæreticis, omnibusque sectariis, obstinatis, deploratis, & perditorum hominum nugis dicatis atque consecratis: sed omnia certo consilio, certaque via & ratione ponderare, vt quid sequendum, quidue fugiendum, si liquidò nobis

Spiritus probandi.

appa-

appareat. Hac verò narratiuncula, in ſpem venio, fore, vt veri CHRISTI ſerui à falſis & ementitis facilè dignoſcantur: & quinám ſynceri Spiritus ſancti miniſtri re vera ſint, qui Satanæ & peruerſi. Vera enim examinis huius diſcuſsionisque nota ea eſt; quam D. Paulus, ad Romanos c. 8. expreſsit, his verbis. *Si quis (ait) Spiritum* CHRISTI *non habet, hic non eſt eius.*

AD rem igitur aggrediamur, & diligenter expendamus, quonám illi tandem ſpiritu acti fuerint, qui ab Eccleſia Catholica vniuerſaque vos primùm ſeparatos eſſe voluerunt, in eamque fraudem induxerunt, vt in abſoluta cognitione Dei, & religione Euangelica, cæteras nationes, quę Chriſtiani nominis communione vinciuntur, longo vos interu"o ſuperare putetis. Obiter igitur & quaſi per tranſennam vobis in memoriam reuocabo, conditiones eorum & attributa, qui in veſtra Cathedra Bezam præceſſerunt, qui Caluino, cuius hiſtoriam mea opera dudum habuiſtis, in diem hodiernum vſque ſucceſsit. Ac inprimis perſtringamus ſummatim vitam & mores Gulielmi Farelli. Is Gapij natus, patrem

Gulielmi Farelli vita & mores.

notarium habuit, nomine Fareau, cuius pater Iudæus fuit: atq; is ipſe G. Farellus cum fratribus, cùm ingenio ad hæreſin nato factoq; eſſet, ac præterea effreni & petulante lingua, & in blaſphemias, quæ Lutheri inſaniam redolerent impotẽter effuſa, eos quidã Gapij Mercator, Ioannes Touaſſe acriter eſt inſectatus, qui vrbe pulſi exilioque multati, nouas ſedes quærere, ſibique fuga conſulere coacti ſunt. Appulit igitur in veſtram vrbem Farellus, atq; fuit tandem ex principibus vnus, qui nouam illã reformationem vobis obtruſerunt. Si eos teſtes adſciſcimus, qui hominem probè cognitũ habuêre, neq; enim veſtros etiam hac in parte recusâro, fuit homo nullius penè eruditionis, nullius iudicij, turbulẽtus, importuniſſimè ſuperbus, elatus, audaciſsimus. Eius rei vel me tacente, fidem faciet exiliũ, quo primùm Ducentumuirali ſentẽtia, deinde generali frequentiq; Senatu multatus eſt, & è veſtra ciuitate turpiſsimè eiectus, quòd minoris Senatus Syndicos, dum ipſi pro tribunali ſederẽt in Baſilica, cõuitiis atq; maledictis petulantiſsimè confixiſſet; qua in re impotentiam animi ſuam, contumaciã non ferendam, furioſamq; ſuperbiã ſatis indicauit:

Farellus & fratres Gapio vrbe pulſi.

Farellus homo turbulentus.

uit: idq; anno 1537. menſe Aprili cõtigit, vt is, Caluinus, & Courault us ex vrbe fœdiſsimè pulſi exilio merito afficerẽtur, vt etiamnum ex actis liquet quæ in Baſilica veſtra, in libro rubeo aſſeruata continentur. Ea verò contumacia, ſuperbia, & incredibilis arrogantia ſatis arguit illum à CHRISTO IESV minimè eſſe profectũ, qui lenis eſt, manſuetus, benignus, patiens, humilis, longanimis, ad easque dotes, imitatione ſui diſcipulos cohortatur.

ERGO Geneuâ turpiſsimè quidẽ, ſed iuſtiſsimè detruſus Farellus, Nonum Caſtellum venit, extremisque temporibus ſatis confirmauit, quo ſpiritu tandem toto vitæ curſu fuiſſet agitatus: nam annum agens, minimùm 70. qua continentia, nihil dico, nouit Deus, iique nouêre, qui familiariùs cum eo agere conſueuerant, annum, inquam, agens 70. filiam ancillæ ſuæ duxit in vxorem, iuuenculam, & quæ vix 17. aut 18. annos nata erat. Rogatus ab amicis, quî ſui tantoperè eſſet oblitus, eisque ſe, ridendi ſui Papiſtis (ſic enim Catholicos, modeſtiæ cauſa, appellare ſolent) occaſionem dediſſe adhicientibus, nihil reſpondit aliud ſanctiſsimus Propheta Farellus,

Farellus Geneua pellitur.

Farellus ſeptuagenarius puellam 17. annorũ, vxorem ducit.

quàm ſe, id ætatis, vxoriæ rei adhuc indigere. Nullos ego iã, hoc loco, Magnifici, præter vos ipſos, iudices fero, qui ex præſcripto rationis ſapientiæq; definiant, num hic reformator integerrimus, qui ſe IESV CHRISTI miniſtrũ eſſe prædicaret, CHRISTI IESV ſpiritu, vel Dæmonis potiùs ageretur. Longũ verò ſit ſociorũ eius vitam resq; geſtas percenſere, qui ſibi mutuas operas præſtiterũt, vt ſancta hæc & Euangelica (ſi Diis placet) reformatio, altiſsimas Geneuæ radices ageret.

Abel Popinus Franciſcanus, Apoſtata.

ANTEQVAM tamẽ ad Bezam propiùs accedamus, Abelem quendam Popinum nec potui nec volui ſilentio præterire, qui à ciuium veſtrorũ plurimis, eorũ qui adhuc in viuis agũt, ſæpenumerò & viſus eſt & auditus. Fuerat is apud Andegauos Frãciſcanus in Gallia, homo bacchicus atq; liberrimus, & qui, vt de ipſo rumor increbuerat, è ſuo Cœnobio cruces argenteas, ſacros calices, & ſuppellectilem eiuſmodi ſuſtulerat, eaq; præda onuſtus ad veſtros Nouatores accurrerat, à quibus ilicò in Miniſtrorum numerum eſt cooptatus. Si de genio hominis eiusque natura dicimus, menſis ſplendidè oppipareque inſtructis natus, iisque exhila-

Furta, ſacrilegia Popæ.

hilarandis factus esse videatur, vtiis dicteriis minimè destitutus, atque facetiis, quæ vel maximè seueros, & melancholicos ad risum incitarent. Itaque per iocum, quod multi adhuc Geneuæ meminisse possunt, dictus est vulgo Dom Iean Chapponnier (tanquam diceres: Dominus Ioannes de Caponibus, quorum anatomiam egregiè calleret) quòd habitu corporis & statura Sacerdotem quendam non malè referret, qui eo nomine, mutata subitò religione, à Reformatoribus malitiosè fuerat appellatus. Fuit igitur Popinus (nam à popina nomen fortè contraxerit) conuiua festiuus, & in epulis dicax, & in omni genere hilaritatis vrbanissimus, si maledicentia vrbanitas appellari potest. Nam, vt omissa vita Epicuræo digna, & flagitiosa consuetudine, ad eius è suggestu stylum orationemque veniamus: Multi ex vobis omninò mihi testes erunt, aut saltem esse poterunt, eum hanc in concionando tenuisse rationem, quæ neque spectaret ad ædificationem proximi, neq; ad mortificationem carnis, neq; ad vllam imitandi CHRISTI, aut vitæ cõgruenter Spiritui Dei informandę persuasionem;

Popinus cur dictus Ioannes de Caponibus.

Popinus Epicuræus.

Popini doctrina. ſed quæ rectà tenderet ad extirpandas Cærimonias, traditiones, & ſtatuta veterum Patrum & Doctorum in Eccleſia Catholica: in quibus configendis totus deſudabat, æſtuans, vt Verres aliquis in Cathedra, ſubinde erumpens in clamores & vlulatus, more furioſi, aduerſus Prælatos & Eccleſiaſticos viros, aduerſus Eccleſiæ ſanctæ cærimonias & veneranda Sacramenta quæ coram Deo & hominibus adeò deteſtanda ſunt, adeò execranda, vt piis auribus, ſi proferantur, non parum ſint offenſionis allatura, planeque ſempiterno ſilentio obruenda videantur: Noua enim indies homo nefariè ingenioſus, aduerſus Deum eiusq; Sanctos excogitabat epitheta & ſcommata, dicteriaq; ridicula comminiſcebatur, vt nihil ab eius concionibus aliud auditores reportarent (quænã enim pietas in conuiciis, quænam inſtructio?) præter incredibile quoddam Eccleſię Dei odium, animorumque auerſionem à cærimoniis, Sacramentis, & totius Eccleſiæ ſanctæ & Catholicæ vetuſtate. Quo loco, quæſo obteſtorque vos, Magnifici, ne in malam partem capiatis, ſi vos ſemel atque iterum admonuero, vt ratione & ſapientia exiſtimetis, num quic-

Popinus ſcurra.

quicquam ſimile reperiatur in concionibus, ſcriptis & epiſtolis Apoſtolorum, diſcipulorum ſanctorumque Patrum, quorum opera & miniſterio Deus vſus eſt, ad importandum, ſpargendum, ſerendum, diuulgandumq; in orbem terrarum Euangelium.

Apoſtolorũ ſanctorũq; Patrum in ſcribendo modeſtia.

EXSTANT eorum cõciones & epiſtolæ, in quibus elucet ſumma modeſtia, & affectus ſanè ardentiſsimus, quo inter docendum cohortandumq; vti conſuêſſent, vt qui ad id opus moliendum, vero honoris gloriæq; Dei zelo accederent, adiuncta ſapientia quadam incredibili & planè diuina, patientia, caritate, & lenitate, à Spiritu CHRISTI magiſtri deriuata. Quod ſi verò de hęreticis, qui ſuæ ipſorum ſanctæ ſanęq; doctrinæ ſeſe opponerent, ab illis vlla facta mentio eſt, ſuis iſtos nominibus ſimpliciter deſignârunt, nullis additis vel grauioribus epithetis vel ſcommatibus iniurioſis atq; ſatyricis. Cui rei fidem, vel hæc duo epiſtolarum Pauli loca facient, quorum alter eſt, in poſteriore ad Timotheum, 2. c. vbi agens de duobus hęreticis, qui Chriſtianos à veritate auerterent, Reſurrectionem vniuerſæ carnis cõtigiſſe iam, impudentiſsimè mentientes, ſuis tantùm illos nominibus Hy-

meneum & Phileten appellauit. Deinde in eadem epistola, ca. 3. duos Moysis grauissimos aduersarios commemorans, satis ipsi est eos Iamen & Mambren sine vlla verborum contumelia, suis nominibus appellare. Atq; eorum semper stylus est eiusmodi, qui Spiritu IESV CHRISTI incalescunt, contrà verò Schismaticorum & Apostatarum ab Ecclesia Catholica, torua, furens, violenta, cruenta, truculentáque est oratio, vt quæ à Satana rixarum contentionumq; parente propagatur, & ad excitandas seditiones, turbas & vastitates comparatur. Sed interea (Magnifici) dum his de rebus sententiam proferetis, Abelem Popinum, Raymundum Chauuetum, & similes studiosissimos Caluini discipulos & socios, quietos esse sinam, vt qui ex hac vita, cum magistro, sublati, seueriſsimam supremi iudicis sententiam exspectent: atque ad vnius Bezæ vitam, mores atque gesta oratione exprimenda stylum conuertam: qui etiamnum in viuis agit, apud vos, & Minister Geneuæ primarius, Caluini Cathedram, eodem quo ille titulo iam aliquot annos occupauit. Est, inquam, Archiministerille, & Antesignanus vobis hoc tempore,

Apostolorũ & hæreticorum stylus diuersus.

Beza Caluini successor.

&

& quem ſocij veſtri atque fœderati præcipuè ſuſpiciunt, ac inter cæteros (inter eos enim regnat iſte vt inter cæcos ſtrabo) pluris æſtimare ſolent. Tenetíſne quænám homini prima fuerit adoleſcentia? aut qua tandem inſpiratione adductus, in veſtram vrbem ſibi confugiendum eſſe putârit? Si hactenus ignorâſtis, en vobis aperio, mihique Deum teſtem eſſe volo, me de ipſo ea tantùm literis mandaturum, quæ ita ſe habere compertum habeo, citra vllam hominis offenſionem, aut cuiuſquam inuidiam: ad veritatis illuſtrationem, propagationemque gloriæ Dei, Eccleſię ædificationem, ac Pſeudoprophetarũ, miniſtrorumque Satanæ confuſionem & ignominiam, qui ſeſe in Angelos lucis transformant, & ementito Apoſtolorum, & Seruorum Dei nomine, pacem Reipublicæ turbant conſenſionem fidelium labefactant, & in exitium ſempiternum imperitam, nimiumque credulam multitudinem adducunt. Cuius quidem rei, omnes, breui hac vitæ rerumque ab ipſis geſtarum hiſtoria, admonitos eſſe volo.

VT IGITVR à loco natiuitatis exordiar, conſtat illud vel ex iſtius monumentis,

Beza patria.

tis, ipſum Vezelij eſſe natum: de parente, cuiuſque ſortis aut conditionis fuerit, nihil hic attinet dicere. De ſuis verò in adoleſcentia ſtudiis, Lutetiæ atque Aureliæ, ad ſuam ipſe laudem vaniſsimè multa ſparſit: ſed quibus tum artibus deditus fuerit, quamq; inſolenter & diſſolutè eam ætatem traduxerit, callidè reticuit. Nam ſi quis vmquam adoleſcens omni ſe libidinis & flagitiorum turpitudine maculauit, noſter Beza fuit, non modò verborum obſcœnitate inter ſocios, verùm etiam morum geſtorumq; corruptiſsimorũ fœditate deteſtanda, & pudicis auribus execranda. Hoc ne vmquã negare poſſet ipſe prouidit, mãdauit enim ſcriptis ſuam nequitiam, quæ impreſſa Lutetiæ 1548. magno ſuo mœrore & ignominia, ad hæc vſq; tempora ſarta tecta peruenerunt. Quanquam enim nullum non lapidem mouerit vt ſupprimerentur, in eorumq; vicem alia ſuffecerit, in quibus multa, quæ in prioribus continerentur, detraxit, non potuit tamen illud perficere, quin è prima editione, quæ anno prædicto Lutetiæ, in officina Roberti Stephani inſtructa eſt, multa omninò exempla ſupereſſent, quæ de nefaria Bezæ libidine & impuri-

Prima adoleſcentia Bezæ.

puritate ſcelerata, poſteritati teſtarentur. Veriſimè enim poſſum illud affirmare, nullum vnquam poëtam extitiſſe, tam laſciuum, tam perfrictæ frontis, tam deteſtabilem, cuius quidem ſcripta in lucem venerint, vel qui modeſtię fines adeò ſit egreſſus, aut tantùm calamo indulſerit, vt ſuam turpitudinem literis conſignaret, cuiuſmodi ſe Beza profeſſus eſt in libro Epigrammatum de Candida: Præſertim verò in illo carmine, quo dolorem ſuum confitetur, quòd Vezelij in ædibus paternis tamdiu à ſuis amoribus atque deliciis (ſic enim ganeo loquitur) Audeberto nimirum & Candida miſer exularet. Quod ne confictum à me crimen cuiquam eſſe fortè videatur, ſuum illud lepidiſsimum epigramma tranſcribere, hucque ſubiicere libuit, vt quemadmodum ab ipſo ſcriptum olim, & typis publicè mandatum eſt, ab omnibus agnoſcatur. Eſt igitur titulus ſiue epigraphe eiuſmodi.

Beza quàm impudens poeta laſciuior.

THEODORVS BEZA, DE SVA IN CANDIDAM ET AVDEBERTVM BENEVOLENTIA.

Ver-

Versus verò sic habent:

Abest Candida: Beza quid moraris?
Audebertus abest: Quid hìc moraris?
Tenent Parisij tuos amores,
Habent Aurelij tuos lepores,
Et tu Vezelijs manere pergis,
Procul Candidulaq́, amoribusq́
Et leporibus, Audebertuloq́?
Immò Vezelij procul valete,
Namque Vezelijs carere possum,
Et carere parente, & his, & illis:
At non Candidula, Audebertuloq́.
Sed vtrum, rogo, præferam duorum?
Vtrum inuisere me decet priorem?
An quenquam tibi, Candida anteponam?
An quenquam anteferam tibi, Audeberte?
Quod si me in geminas secem partes,
Harum vt altera Candidam reuisat,
Currat altera versus Audebertum?
At est Candida sic auara, noui,
Vt totum cupiat tenere Bezam.
Sic Beza est cupidus sui Audebertus,
Beza vt gestiat integro potiri.
Amplector quoque sic & hunc & illam
Vt totus cupiam videre vtrumque:
Integrisq́ frui integer duobus.
Præferre attamen alterum necesse est,

O du-

O duram nimiùm neceſſitatem!
Sed poſtquam tamen alterum neceſſe eſt,
Priores tibi defero, Audeberte:
Quod ſi Candida fortè conqueratur,
Quid tum? baſiolo tacebit imo.

Tale eſt ergo ſanctiſsimum eius epigramma, quo pacto illud primum compoſuit, & velut æternũ quoddam probitatis ſuæ monumentũ immortalitati conſecrauit. Cùm eum igitur adoleſcentiæ curſum tenuiſſet, vt æquales omnes, ſi qui iſtius furfuris eſſent, improbitate, nequitia, ſcelere, libidine impudentiaque ſuperaret, meritas tandem pœnas impuritatis eũ perſoluiſſe multi cognouerunt: morbo enim Neapolitano (Gallicum appellant) correptus eſt, cuius exprimendi, totoq; corpore exhalandi cauſa, in certo ſuburbio Pariſienſi, ad Camnum cuiuſdam balneatoris, æſtuans & anhelus diu multumq; deſudauit.

Beza morbo Gallico corripitur.

Sed de eius Lutetiâ diſceſſu ſeu fuga potiùs, prę cipua quæſtio eſt: quænam illũ cauſa impulerit, vt relictis tanta feſtinatione Galliis, Geneuam velis remisq; contenderit. Nec enim id è conſcientiæ ſtimulo, vel Religionis cuiuſdam ſanctioris puriorisue voto profectum eſſe putandum eſt, quic-

Cur Beza Lutetiâ Geneuam fugerit.

quicquid inducant in animum imperiti nimiumque creduli. Intellexerat videlicet, homo egregiè auritus, aduerſus ſe latam decretamq; in Senatu Pariſienſi ſentẽtiam, quo ſiſti ganeo comprehendiq; iuberetur, vt pium illud ſanctumque epigramma, frequẽti Senatu exponeret. Re percepta, cùm Prioratum, cui nomen, de Loniumeau, multos iam annos, religioſiſsimus Clericus detineret, eius prouentum confeſtim ſub annuo cenſu quibuſdam reliquit, ea conuentione, vt quinque annorum Canonem, præſenti pecunia veterator acciperet, atq; re ita cum iſtis trãſacta, clam ad alios tranſfugit, cum quibus illud idem beneficium accepta grandi pecunia commutaret. Conductores igitur ſeu villici eum Lauſannam vſq; & Geneuam proſecuti ſunt, vt aduerſus Simoniacum & Latronem iure experirentur, ſed cùm id fruſtrà ab ipſis diu tentatum eſſet, in Gallias irati reuertuntur. Cùm autem ad colloquium Piſsiacum Beza veniſſet, illi ipſi eò etiam aduolârunt huicq; ſuo negotio tam acriter inſtiterunt, vt ea res ſociis miniſtris maximum pudorem incuteret. Perfecit igitur iſtorum rubor, vt ex ærario (burſam appellant) Conſi-

Beza Simonia.

ſtorij,

ſtorij, quod eo tempore Caluiniſtæ Pariſiis habuêre, trecentas libellas cõductores obtinerent, quas ipſis Matthæus Launæus (de Launoy) numerauit, tum quidem Miniſter & ſeductus, iam verò Eccleſiæ copulatus & redditus, atq; IESV CHRISTI Sacerdos integerrimus, eruditiſsimus, hæreticisq; formidabilis. Duos verò Bezam tenuiſſe Prioratus à quibuſdã accipio, ac in altero diſtrahẽdo ſimiliter ſe geſsiſſe, ſed quia rumor eſt, ea tantùm aſſeuero, quæ ita habuiſſe certò ſcio. Prioratus enim eſt de Loniumeau, de quo iſtius flagitioſiſsimæ nundinæ exſtiterunt, cuiuſque nomine pecuniam vtrinque collegit, qua onuſtus, clam ſe ſubducens è Galliis ad vos trepidus aufugit. Quod ſi verò, omnis adeò pudoris expers eſt, vt negare factum audeat, lis inter emptorem & cõductores in Senatu Pariſienſi agitata, ſatis eum mendacij impudentiæq; coarguet.

Matthæus Launæus Caluiniſmum deſerit.

SED præter hoc ſtratagema Pantagruelium, aliud eiuſdẽ Priapicum accipite. Nam cùm Lutetię vir quidam honeſtus ſartor habitaret, in eo vico qui Calẽdrę (de la Calendre) vulgo nominatur, huius vxorem Beza primùm ſollicitare cœpit, atq; eius pudicitiam expugnare, deinde ſecum etiã Geneuam abducere, quam adhuc ibi retinet, non

Sartoris Pariſiẽſis vxorem Beza Geneuam abducit.

ſine magna veſtra labe, & nota infamię ſempiterna. Atque, ſi hoc hactenus ignorâſtis, eam, illam eſſe meretricem aio, quam ſuis verſibus tantoperè celebrauit, ficto tamen nomine Candidæ, cum vera appellatione Claudia nominetur. Miſer maritus, cùm in colloquio Piſsiaco, raptori litem intendiſſet, non eſt auditus ob ſecuritatem, quæ ipſi cum ſociis Miniſtris publica fide data eſſet. Igitur duplicis ſe furti (ſeu potiùs ſacrilegij) Beza alligârat, immaniſsimi ſe raptus & adulterij reum peregerat, cùm in veſtram vrbẽ incredibili lætitia eſt exceptus, aduentum gratulãte Caluino, cæterisq; Miniſtris, Chriſtianæ pietatis, & Reipub. veſtræ Deformatoribus. Nec ita multò poſt, eorum opera, Lauſannæ, ad profeſsionem linguæ Græcę eſt admiſſus, vbi ſtatim epiſtolam D. Pauli ad Romanos interpretari cœpit, non ſine ingentĩ ſtupore multorum qui vitã & mores hominis accepiſſent, & ea ferè quæ paulò antè commemorauimus, proindeq; & receptum eum eſſe vehemẽtiſsimè mirarentur, neq; ſibi tẽperarent, quin ea de re, cum ſtomacho, ipſi Caluino loquerentur. Quinetiam factũ eſt in eam rem epigramma, ipſiq; tranſmiſſum Lauſannam, quod in gratiam Lectoris non pigebit ſubiicere.

Beza Candida ſiue Claudia.

Beza raptor & adulter.

Beza Lauſannæ Græcas literas profitetur.

Spin-

Spintria nunc fueras, mollisq́, salaxq́, poëta,
Mox doctor sacri factus es eloquij.
Vnde, rogo, potuit subita hæc mutatio gigni?
Non tribuenda Deo, sed potiùs Satanæ:
Nempe tui similes versutos ardeliones
Exquirit: quorum fraude fides pereat.
Angelus ergo Erebi, luci CHRISTIQ́ *ministrum*
Mentitus, cæcos ducit in exitium.

NVNC verò illum pro doctore & ministro suscepistis, quod bonis omnibus videtur insolens & inauditum. Vestri, si qui sunt, quibuscum ea de re conferatur, eum quantum in ipsis situm est, excusant, quaque possunt * ratione tegunt; dicunt enim, cùm primùm Lausannam appulisset, ipsum Tragicomœdiam de sacrificio Abrahæ in pœnitẽtiæ signũ scripsisse; magnisq́; viris olim, & præstantibus, vt peccarent, accidisse: atq; inter alios ipsi D. Paulo, q CHRISTVM IESVM eosq́; qui ipsum cõfiterentur, insectatus esset. Sed sunt verba & voces * quæ imperitæ multitudini fortasis obtrudi queãt: Prudẽtes verò, qui nisi certa ratione nõ mouẽtur, & ad Spiritum Dei respicere solent, eiusmodi nugas facilè non admittunt. Nam S. Paulus Mosaicæ legis vindex acerrimus, honorisq́; fratrum Israëlitarũ amantissimus, qui

* *Saccomadido & lacero, Gallicè.*

* *Ad pascẽdum asinos & stultos bipedes, Gall.*

D. Paulus Mosaica legis vindex.

originem ducerent ex Abrahamo & Prophetis, quibus suam benedictionem Deus impertisset, ipsisq; & eorum posteris terrã Chananęorum promisisset: Cùm spiritum non assequeretur, neque qui verè essent Israëlitæ satis intelligeret, doctrinam Euangelicam, quæ reiectis secundum carnem Israëlitis, Gẽtibus communicaretur, probare non poterat: Itaq; in Religionem Christianam, & eos qui ipsam profiterentur, vehementissimè exarsit. Sed eius misertus est Deus, hominis temerario, & ignorantiæ tenebris inuoluto zelo restitit, eam ipsi gratiam attribuens, vt & veritatem agnosceret, & se in viam salutis daret. Quod ipsum confiteri non puduit, tum prioris ad Timotheũ, cap. 1. tum 1. cap. ad Galatas. Diuum verò Paulum masculorum fuisse concubitorem, aut in Sodomię horrẽdo scelere gloriatum, stupris, flagitiis, libidinibus inquinatum, furem, prædonem, impostorem, periurum, adulterum, raptorem, alieni thori violatorem, nulla vnquam mentio est: vt econtrà ipse de se scribat, omnes se coæuos, obseruanda lege, à prima ætate superâsse: & dum conuersus est, erat annorum 27. Itaque scribens ad Timotheum, 1. cap. 3. & ad Titum

tum 1. commemorat adiuncta, verasq; notas quæ in eo requiruntur, qui ad ministerium verbi Dei velit accedere; aut ad Episcopi munus & dignitatem aspirare.

Si quis obiiciat in Ecclesia Catholica & Romana, ne hoc quidem tempore illud obseruari, haud grauatè concesserò. Meo enim magno dolore plerumq; video, indignissimos quosq; & maximè ignorãtes, ad Ecclesiastica munia & dignitates euehi: quod, vt plurimùm ob fauorẽ Principum, aliorumq; secularium hominum cõmittitur, cuius rei seueriſsimã olim supremo iudicij Deo rationem reddent. Sed interea licitum nõ est eos eiicere, violare, aut ab obsequio & obediẽtia discedere, quæ debetur Principibus & Prælatis Ecclesię. Hoc enim expresè Dei verbo prohibetur, & in eam sentẽtiam multa Sanctorũ exempla memoriæ prodita sunt, eius ætatis qua Dei Filius in gratiam humanę salutis carnẽ assumpsit. Inter cæteros Ioachimus & Anna parẽtes glorioſisimę Virginis & Matris CHRISTI conseruatoris: Zacharias & Elisabetha, è quibus ortus est magnus ille Propheta Ioan. Baptista, itemq; Simeon ille iustus, gloriæ Dei acer ꝓpugnator, qui omnes è vita discedere cupierũt, dum sui sæculi

Ecclesiastici, licet indocti, non violanda.

mores corruptiſsimos eſſe perſpicerent, præſertim verò in ſacerdotali dignitate, quę iam tum, vt plurimùm, venalis haberetur, & iis tantùm accederet, qui Principibus terrarumq; Dominis, præ reliquis arriderent. Ipſi tamen in ſua ſe religione & patrio ritu continuerunt, aſsiduis precibus, ab omnium rerum parente Deo contendentes, vt aliquā ipſis, tandem aliquando, vitæ morumq; reformationem indulgeret. Minimè verò cum hæreticis illorum temporum cōſpirârunt, cuiuſmodi fuêre Iudas quidam Galilæus, itemq; Theudas miniſtri Satanæ, qui Cenſores ſeſe, Prophetasq; Dei dictitabant, eoq; pacto multos ad ſe ignorantes & credulos nullius cerebri aut conſtantiæ viros vulgus pellexerunt, quibus infelix demùm & miſerabilis fuit exitus, vti Actorū 5. obiter memoratur. Sed digreſsionē abrumpam, ſi priùs admonuero, vt ex iis quæ dicta ſunt diligenter attendatis, quanta demùm malorum Ilias conſequatur, ſi Prælatorum Eccleſię negligatur imperium, ſi ſanctiones & decreta Patrum veterum, & Doctorum Eccleſiæ cōuellantur, ſi nouæ ſectæ & ignoti Doctores admittantur.

Iudas Galilæus & Theudas miniſtri Satanæ.

Ad Bezam igitur eiusq; vitæ conſuetudinem Lauſannę redeo, forſan enim ad frugem

gem ibi redierit, forsan magis piè religioseque vixerit, forsan meliorem mentem adeptus, à perditis in adolescētia moribus maturior factus discesserit. Primùm igitur eius ambitio, & putida doctrinæ ostentatio, præsertim in sacris literis, in quibus videri voluit, multis eum senatoribus virisq; eruditissimis, qui tum ibi viuerent, odiosum effecerunt. Iactauit enim in prælectionibus publicis multa se loca Epist. ad Roman. per se cōsequutum, citra cuiusquā interpretis, veteris aut recētioris, subsidium: seorsum verò cuiusdam intricatioris, ca. 8. eiusdē epistolæ loci, cuius tamen intelligentiam acceperat à quodam M. Francisco à sancto Paulo, ministro tum Veneij. Nam omninò contextus illius obscuritas, exercuerat oēs qui hactenus scripsissent in eam epistolam, neq; satis adhuc fuerat explicatus, nisi interpres Origenis admoneret, voculā Græcanicam, περὶ eo loco, non (de) sed (pro) significare, vti satis est vsitatum, cùm in sacris literis, tum sæpiùs alibi. Sed missam facio immanem hanc eius insolentiam, & ambitionem non ferendam, & ad eius admirabilem continentiam me confero. Ancillam, ipsum habuisse compertum est, florenti ętate, atq; leuiculam, eleganti forma, & cui nomen esset

Bezæ ambitio & ignorantia.

à Veneto Gall.

Beza flagitium & mendacium.

Claudia. Hæc eius domi concepiſſe reperta eſt; ex quo, non facilè dixero. Beza tum veritus, ne ſtipendia quæ à Bernenſibus acciperet, cum infamia dimittere cogeretur, rumorem ſparſit, quaſi ancilla peſte laboraret, effecitq́; adeò vt à M. Petro Vireto tugurio-lum obtineret, quod ad eius horti latus erigi curauit, in quo ſeſe Claudia contineret. Claudiæ quidam Chirurgus adoleſcens, ſed tenuiſsimæ ſortis adiungitur, qui eius concluſæ curam gereret, & cui, Beza impulſore, tantum ſanguinis extraxit, & medicamenta tam violenta adhibuit, vt & illa abortum fecerit, & infans in lucem editus mortuus, in eiuſdem horti parte ſepultus ſit. O nequitiam incredibilẽ! O libidinem execrandam! Et tamen vt eſſet cur ea res vera putaretur, ipſe ſe Beza peſte correptum eſſe ſimulat, idq́ue Canticum ſcribit, cuius initium infrà ſubiiciam, quod Geneuæ ſtatim typis mandatum eſt, & vbiq;, tanquam res alicuius momenti diuulgatum. Eius porrò fuit hoc initium, quod Gallicè adiiciam, & in gratiam rudium linguæ noſtræ, ad verbum, vt potero, conuertam.

Seiché de douleur,
Tout cuit de chaleur,

Seigneur

Seigneur tu me vois:
Si te veux-ie encore,
O Dieu, que i'adore!
Louer vne fois.
Siccatum dolore
Plane coctum calore
Domine me vides:
Nihilominus adhuc te volo,
O Deus quem adoro!
Laudare semel.

Reliquo carmine Galliam & amicos valere iubet, tanquam is qui animam efflare, iamiamque ex hac vita migrare videretur. Si ex animo dixit, vtinam eum non fefelliſſet opinio, magna vaſtitate Gallia careres! Quemadmodum igitur nihil adeò obſcurum eſt & occultum, quod in lucem & in apertum aliquando non proferatur, vt eius ſententiæ CHRISTVS ipſe Dominus auctor eſt, ita tam tetrum tamque immane facinus ſileri nec potuit nec debuit. Chirurgus igitur rem vti geſtam eſſe cognouiſſet aperuit, cùm ei ſermoni mecum (ſic enim Dei voluntate factum eſt) multi præſtantes auctoritate viri intereſſent. Agnoſcite (Magnifici) agnoſcite, qua tandem iſtum eſſe cõſcientia oporteat, qui domum propriam

in lupanar & proſtibulũ nequiſsimè commutârit, ſuam ancillam ac domeſticam flagitioſiſsimè conſtuprârit, ſuam ipſius prolem crudeliſsimè ac nefariè exſtinxerit, atque ad tam horrendum ſcelus perpetrandũ tertium quendã perditiſsimè induxerit, deniq; Deum eius diuina patiẽtia abutens ad ſuorum occultationem maleficiorũ, vt faciliùs hominibus imponeret, in rebus perridiculis & profligatiſsimis, impiè & ſceleratiſsimè inuocârit. Atqui exactiſsimã eorum rationem haberi voluit Apoſtolus, qui ad prædicationẽ miniſteriumq; verbi Dei euehuntur, qua vitæ conſuetudine eſſent, & moribus. Omninò enim crimine vacẽt, neceſſe eſt, atq; Deus, quoties in Eccleſia reformatione aliqua opus eſſe iudicauit, ad eam rem homines innocentes, inculpatos, doctrina & pietate illuſtres, aliisq; neceſſariis in ea vocatione notis adhibuit. Videamus igitur nũ ea in Epiſcopo & Paſtore veſtro Beza eluceant, cui tantum excellentiæ vni tribuitur, & quẽ eius diſcipuli ſuis etiã in ea Cathedra maioribus anteponunt. Cęteras eius virtutes inſpiciamus; quamquam enim alia permulta ſuppetant libidinis eius exempla, & impudicitiæ, ea tamẽ reticebo,

vt

vt & quibuſdam nuptis parcam, & ne maiori malo occaſionem attuliſſe videar: tantum illud acceſsionis loco, & pro coronide adiiciam, quod ſcurriliter luſit in M. Ioachimum Thenoni miniſtrum. Ei Ioachimo contigerat, vt cum ſua famula committeret adulterium, qua prægnante, reque patefacta, idem Ioachimus è miniſterio pulſus eſt, cum infamiæ nota ſempiterna. Id Beza cùm reſciret (vt ſcurra eſt non infacetus) hominem plurimis cachinnis ludificatus, ad extremũ, annón potuit (inquit) fatuus honeſtam aliquam rationem nanciſci, ſuæ turpitudinis occultandæ? Veniamus ad eius opera & ſcripta quæ in lucem edidit, atq; illud conſideremus, quàm ſint ab eis diſiuncta, immò contraria, quæ ſancti Patres Eccleſiæque Doctores, Spiritus ſancti lampade colluſtrati, nobis reliquerunt. Primum enim neque ſuum nomen, neq; eorum quibus ſcriberent, celatum eſſe voluerunt: ac ſæpenumerò locum ipſum apponunt, ex quo ſua ſcripta dederũt, quod in B. Pauli epiſtolis Iacobi, Petri, Ioãnis, facilè perſpici poteſt, atq; ſimiliter in omnibus libris veterũ, qui religionem Catholicam quaſi per manus ad nos tranſmiſerunt.

A Thenon. Gall.

Beza libellis nugarum plens.

In

In iis verò, quæ initiò Beza, cùm eſſet Lauſannæ, ſcripſit, nomen eius ſuppreſſum eſt, ac typographia vel ſuppoſititia, vel certè ſimulata. Deinde pleni ſunt eius libri, plena refertaq; volumina rebus ridiculis, ſarcaſmis, ſcommatibus, ineptiis, vti fidem facere poteſt inſignis illa epiſtola, cui titulum præfixit *Benedictus Paſſeuantius, ad Dominum Petrum Liſetum*, vbi Mimum agit ineptiſsimè, deinde altera, cui titulus eſt *Harenga in monaſterio Cluniacenſi habita, ad Reuerendiſſimum & Illuſtriſſimum Cardinalem de Lotharingia.* Maioris momenti periculiq́ue ſunt reliqua, vt quæ præſentiſsimum venenum, quod Lectori imprudenti exhalent, in ſe contineant, nimirum Alitheia, Furores Gallici, le Tocſsin (claſsicum) le Reueille-matin (excitatio matutina) itemq́ue vita Catharinæ. Eiuſmodi enim omnes quiſquiliæ nullo ſunt alio fine comparatæ, quàm vt inter populos, turbas, tumultus, diſſenſiones, ſeditionesq; excitent.

VBINAM autem in libris Doctorum, qui Religionem Catholicam confeſsi ſunt, eiuſmodi nugæ reperiantur, & inuentiones mimicæ, quæ concertationum, populis: Reipublicæ verò Chriſtianæ cauſa belli, cauſa

cauſa peſtis, atq; exitij ſint? Eorum tamen omnium (quos famoſos libellos veriùs quàm libros appellâris) vel certè partis maximę, auctor Beza celebratur. Bell⁹ ille grauisq; liber, qui *Matagon de Matagonibus* inſcribitur, cuidam miniſtro attribuitur, qui dum viueret, fuit illius Gaſparis Collignij, Admiralis, qui in tumultu Pariſienſi 1572. ſuæ perfidiæ pœnas luit. Apologiæ, in Herodoti gratiam inſtitutæ, auctorem ſe ſcribere Henricum Stephanum nō puduit, & eo ipſo, ſe, diſcipulū M. Ioannis du Pont Allez profiteri. Nam in eo opere nullam tam ridiculam narrationem, nullas tam aniles fabulas prætermiſit, quarum vanitate Monachis & Sacerdotibus non obſtrepat. Rediuiuum Eraſmum, aut atheū illum potiùs Lucianum poſsis agnoſcere. Eiuſmodi mimica monumenta, neque cuiuſquam in Eccleſia Dei ſunt ædificationis, neque digna, quæ, ab iis, qui ſe filios Dei & eſſe & haberi volunt, in publicum proferantur. Atque in eo ſolo argumento, ſatis eſt momenti, vt inde colligatur, neque Bezam, neque huiuſcemodi vanitatum rapſodos Spiritu Dei, agitari. Etenim ſi de minimo etiam otioſo verbo, reddenda olim ratio

Matagō de Matagonibus.

Cades Admiralis.

tio eſt, ſeueriſsimo illi iudici Deo, qui ſuo poſtremo aduentu ſecreta conſcientiarum reuelabit, quid fiet his tenebrionibus, qui ſeditioſis turbulentisq; ſuis ſcriptis totum orbem complẽt ridiculis, nugis & cachinnis, irriſionibus diſcipulos ſuos aſſuefaciũt, immò verò malitioſis importuniſsimisque verbis: cùm interea perfectionis Chriſtianę titulũ nomenq; ſibi impudentiſsimè vendicent? Pergendũ vlteriùs, iiq; inſpiciendi libri ſunt, quos ſuo ipſe nomine in vulgus exire paſſus eſt. In reliquis, eſt eiꝰ ea præfatio, quam Commentario in librũ Ioſue Caluini ſui magiſtri patris & amici præfigendã curauit. Deinde eſt Apologia quam Claudio Sanctæo (de Saincte) repoſuit, in eum librum quẽ ſcripſit, de Caluiniana Bezanaq; doctrina circa cœnam Domini. Tria verò ſunt (vt de cæteris taceamus) in eius opuſculis, quæ ſtylum Doctorũ Eccleſiæ, & Orthodoxorum Patrum minimè redoleant, quæq; à S. Spiritu maximè ſunt aliena; Mendacia, Cachinni, & Ambitio, ab hæreticis & ſchiſmaticis auctoribus, & magiſtris, ſine dubio deriuata, qui ducuntur à parente Satana, ſummo mendaciorum omnium artifice, ſcommatum, petulantiæ, libidinis, & irriſio-

Beza commentarij quales.

irrisionum auctore, inprimisq; inflatorum, tumidorum & ambitiosorum fautore, qui & sibi pulchri belliq; esse videantur, & præ se reliquos, ipsamque seculorum omnium antiquitatem nihili faciant.

Bezæ mendacia.

Quod ad mendacia attinet, iis est Beza mirificè nobilitatus, vti in illa ipsa aduersus Sanctęū Apologia videre est, vbi, mihi testis Deus, cùm de Caluino agit, quàm impudenter & splendidè mentiatur, aduersus rei gestæ memoriam, propriamque conscientiam, si tamen conscientiam habet vllam. Sed in libello de vita, moribus, gestis, & morte Caluini feciſſe me luce meridiana clarius existimo, quantū ea quidem in re, à veritate Beza discesserit, re tota, quo pacto habuisset, à me commentata, adiunctisque rationibus & testibus omni exceptione maioribus. Itaque illi re supersedebo hoc tempore, ne actum (quod dicitur) agere videar. De mendaciis tamen ab ipso, aduersus priuatos multos audacissimè pronunciatis, conticere neq; debeo neq; possum. Sanctæo enim non concedit Caluinum de prædestinatione conferendi causa, fuisse Bernam appellatū, sed ibi solummodò munere legationis esse functum.

Ad-

Adfuit quoq; (ait ibi) *Caluinus, non vt Reus, ſed vnus ex legatis, quem honorem ei non ſemel hæc ciuitas, vel inuito, habuit.* O Diabolicum mendacium, ô impudentiam prædicandam. Huius enim rei mihi teſtis eſt Deus, teſtes Bernenſes magnifici, teſtis veſter ipſe magiſtratus.

Rem igitur, vti habet, purè ſimpliciterq; aperiam, nullo admixto mendacio, nulla circumſtantia diſſimulata. Poſtquam enim anno 1552. mea, Geneuæ, interceſsione, doctrina Caluini Miniſtrorumque, de prædeſtinatione, cœpit eſſe controuerſa, plurimi Bernatium Miniſtri oculos aperuerunt, Caluinumque cum ſuis, in hoc argumento, turpiter errare perſpexerunt. Ortæ ſunt igitur ilicò, inter eos, ea de re cùm in Synodo (quæ Lauſannæ communiter haberetur) contentiones grauiſsimæ. Caluiniticam verò hanc, ex officina Manichæorum depromptam nobisque inuectam, de prædeſtinatione doctrinã erroneam, quidam Nioni (quod oppidum eſt, Gallicè Nion) miniſter, nomine, non Zacharias, quemadmodum ipſum Sanctæus nominârat, ſed Zebedæus (quod in Apologia nomẽ callidè Beza reticuit) præ cæteris, acriter oppu-

Vnde Caluiniana doctrina profecta ſit.

oppugnabat. Huius admoniti Bernates, vt politici prudentesque Domini, earum in suis ditionibus controuersiarum pertæsi, scripsêre Geneuatibus, vti Caluinum Bernam, suosq; alios ministros mitterent, qui ibi constituto die audirentur, atq; eam à se doctrinam in medium allatam propugnarent, vt quæ totius inter suos dissensionis causa esset. Et quia miser Bolzec Medicus, qui ei de prædestinatione dogmati ad Diui Petri Geneuæ, anno 1552. iam sæpe commemorato publicè restiterat, ei contentioni primus omnium causam attulisse videbatur ipsi vt eò se sisteret per Balliuum Thenonij (vbi domicilium eo tempore fixisset) imperatum est. Etsi tum temporis absens esset occupatus in curando nobili, cui nomen, de Maillac, qui decumbebat in Bressia, in pago, qui Virieu le grand (Virieu maius) appellatur. Bolzec, vt primùm magnificorum Bernensium mandatum accepit ex literis, quas ad se Balliuus Thenonij è vestigio perferendas curârat, nihil prius habuit aut antiquius, quàm vt imperata faceret, vsus dispositis equis, vt eò citiùs perueniret. Ingressus Bernam, casu factum est, vt hospitium,

Thenon Gall.

ſpitium, in quo Caluinus diuerteret, in equo adhuc expeditus, cum pegaſario curſore præteriret. Itaq; à M. Raymundo Chauueto Caluini ſocio, qui tum fortè caput è feneſtra demiſerat, conſpicitur. Chauuetus Caluino veniſſe medicũ ſubitò renunciat, qui puncto temporis equos frænari iubet, ſumma feſtinatione Berna diſcedit, ac contentione mira Nonum Caſtrum iter inſtituit, mutata ratione itineris, cùm, Lauſanna, veniens iter habuiſſet. Bolzec, vt primùm ab equo deſiliit, nulla interiecta mora, Dominum Auoërium nomine de VVateuille adit, ſe apud ipſum excuſans, quòd ad diem non veniſſet, abfuiſſe enim ſe è prouincia, nec opportuniùs Magnificorum imperata capere potuiſſe, cuius rei fidem facerent literæ Balliui Thenonij, quas eo nomine ſecum attuliſſet.

Raymũdus Chauuetus Caluini ſocius.

Caluini fuga.

Igitur Caluino per miniſtrum publicum protinùs imperatur, vt ſequenti die veniret in Senatum, ſed bonus vir ex vrbe iam auolârat. Re accepta Auoërius, equites imperat, qui incitato curſu fugientem inſequerentur, & in Senatum ad diem ſequentem accerſerent: ſed fruſtrà, tametſi eſſet equitum diligentia incredibilis, malitioſè

tioſè enim Caluinus iter mutauerat; vt oſtenſum eſt, & inſequentes veritus, ocyſimè Nonum-Caſtrum contenderat. Atque ita res habet, quicquid Beza ſimulârit, vti impudentiſsimus eſt, & addictus mendaciis.

DICAM & de illa altera re, quâ homo perfrictę frontis aſſerit, nempe Caluinum, non vt reum, ſed vt legatum Bernam ſe contuliſſe. Verum quidem illud eſt ipſum, cùm ſibi Bernam proficiſcendum à Magnificis Geneuenſibus acciperet, ad propugnandam ſuam de prædeſtinatione Mateotechniam, quæ turbas inter Miniſtros excitâſſet, à minoris Senatus honorificis Syndicis impetrâſſe, vt ex ipſis quidam, qui ei diſputationi intereſſent, ſecum eò venirent. Cùm enim ſibi ſuæque doctrinæ metueret, tutiorem fore ſe ſibi perſuaſit, ſi illi Domini, tanquam legati à Geneuatibus mitterentur, ſeſeque ipſis eodem titulo adiungeret: fore enim vt eo nomine ſibi aliquis honor haberetur. Nulla tamen alia de cauſa à Bernatibus, erat accerſitus, quàm vt quæ ſcripſiſſet, & in dies cum ſuis aſſeclis cõcionaretur de prædeſtinatione, defenderet; eò quòd illa res inter Bernenſium

Mateotechniæ Caluini de prædeſtinatione.

miniſtros, ex eius occaſione, controuerſa redderetur. Cùm ergo Bernates impoſturam Caluini didiciſſent, eumq;, re infecta, diſcedere, & quidem mutatis itineribus, & inſalutato hoſpite perſpexiſſent, vehementer commoti ſunt. Itaq; dimiſsis Geneuatibus qui cum ipſo venerãt, decreuerunt, atq; Miniſtris ſuis ſubditis mandauerũt, ne amplius in eã de prædeſtinatione concertationem deſcenderent, neúe de ea, vel publicè, pro ſuggeſtu, vel priuatim in colloquiis verba facerent, niſi purè ſimpliciterq; quantũ verbis ſacræ Scripturæ contineretur. Mandant ſimiliter omnibus & ſingulis ſuis ſubditis, cuius tandem ſortis aut conditionis eſſent, ne relictis ſuis paræciis, Geneuam confluerent, vt ibi cœnam acciperent: illud enim intelligebant, quamplurimos cùm indigenas, tum etiam incolas, qui eò ſe religionis cauſa receperãt, ſic eſſe Caluini ſtudioſos, eiusq; idolo affectos, vt præ illo ſuas paræcias & miniſtros negligerent. Miſer porrò Bolzec Thenonium ad ſuos dimiſſus eſt, cum literis Dominorum Bernenſium ad Balliuum Thenonij, quibus admonerent, ne Miniſtrorum cõtrouerſiis impoſterũ ſeſe implicarent, néue de eo prędeſtina-

Bernenſiũ mãdatum.

deſtinationis argumẽto diſceptarent. Ambitionem enim Geneuenſium ſemper prudentiſsimè præcauerunt, qui cũ Bernatibus amplitudine copiis, ſplẽdore, viribus pares nõ eſſent, ſummo indefeſſoq; ſtudio conati ſunt, vt in ſimultates eos adducerent, & ex eorum factionibus accreſcerent. Sed ipſum Bolzec exilio multatum fuiſſe à Bernenſium magiſtratu Beza ſcribit, & quidem lata à quatuor pagis Heluetiorum ſententia. O Satanicam audaciam! ô mendacium omni pœnarum atrocitate vindicandum! Nam primùm omnium controuerſiæ iudicium, tribus tantùm pagis, Tigurino, Bernenſi, & Baſilcenſi permiſſum eſt, quorum ſententia, Bolzec, tantùm abeſt vt erroris damnaretur, vt eum congruentem eſſe verbo Dei, & eius intelligentiæ pronunciarent. Deinde cùm Bernatium terris ipſi Bolzec interdictum fuiſſe ſcribit, ſplendidiſsimè, impudentiſsimeque mentitur, ſuo more, atque huiuſce rei, ipſos Bernates Dominos teſtes fero. Verum quidem illud eſſe confiteor, Caluinum, Bezam, Viretum, aliosque iſtarum partium homines perquàm ſtudioſos, tum ſuo, tum ficto aliorum ſuppoſititioq; nomine, cre-

Beza mendacium de Bolzecs exilio.

brò ad ſingulares quoſdam Bernenſium Dominos, ſcribere ſolitos, itemque ad illorum miniſtros Halerũ & Muſculum, eumque nouis indies accuſationibus onerâſſe, & cõfictis criminibus detuliſſe. Quibus calumniis tam frequenter iteratis Bernates adducti, & ſi illud totum intelligerent, ab odio & malcuolorũ inuidia proficiſci (contra omnem pietatem Chriſtianam) vt iis ſe moleſtiis ſemel liberarent, quendã è Senatoribus, nomine d' Ausbourg, ſi benè memini, ipſi Bolzec delegârunt, qui, communi nomine, melius illi fore diceret, ſi ab eorum ditionibus ſecedere, & in loco aliquo quieto & tranquillo, ab aduerſariis longiùs eſſe vellet, fore enim, vt vicinus perpetuis eorum calumniis agitetur. Bolzec igitur optimo & amico ipſorum conſilio acquieuit, atque inde cum eorum fauore & beneuolentia in Galliam ſe recepit.

Beza aliorumq; Calumnianorũ calumnia.

Beza de Zebedæo mendacium impudens.

Nec minus impudens eſt de Zebædeo Bezæ mendacium, cùm turbulentum illum eſſe dictitat, & infamẽ multis iudiciis. Multi enim boni viri & graues, norunt rem aliter habuiſſe. Verum illud eſſe conceſſerim, fuiſſe Zebedæum vindicem veritatis acrem & vitiis inimiciſsimum. Obſiſtebat igitur ipſis

ſpſis ſtrenuè. Sed Theodorus Beza, non ſatis attendit S. Pauli 4. ad Epheſios ſalubre conſilium, dum illos ſalutariter admonet. *Deponentes mendacium loquimini veritatem vnuſquiſq; de proximo ſuo, quia ſumus inuicem membra.* m; *Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Hac poſita hunc in modum, B. Pauli ſententia, libenter illud à Beza ſciſciter, quemnám tandem in Eccleſia Dei fructum afferant mendacia, quæ de aliis procaciſsimè vel enũciauit, vel literarum monimentis cõmendauit? Contumelioſa verba ſimiliter & ſcommata, quib⁹ in ſuis libris illos perſtringere ſolet, quibus malè eſſe velit? An quicquam inde gloriæ Dei accedit, vel vtilitatem aliquam ex iis Eccleſia conſequitur?

Epitheta quibus Beza vti ſolet.

Sedenim, quia in contumelioſa verba & epitheta, quibus ſuos libros refertſit, incidimus, videamus quibus modis illa adhibeat. Quoſdã enim maledictæ memoriæ inſimulat, alios mõſtra horrẽda appellat, alios damnatos & reprobos, tanquam ſingulari quodam priuilegio, in ſecretius iudiciorum Dei incomprehenſibiliũ conclaue admiſſus eſſet, vt inde veluti è ſpecula perſpexerit

deſtinatos ad vitam, aut ab ea reiectos in omnem æternitatem. Pighium quidem Goliat vocat immenſæ magnitudinis: Cardinalem Sadoletum (virum vt pietate præſtantem, ita eloquentia clariſsimum) ambitioſum & elatum: Sanctæum (integerrimum & eruditiſsimum Epiſcopum) Theologaſtrum & Monachum, alios, impuros, ſordidos, olentes, fœtidos. Sed in eo ſtylum magiſtri ſui, patris, & amici Caluini æmulatur, qui ſi de quoquã qui ſibi obſtitiſſet, aut loqueretur aut ſcriberet, horrendis eum & execrãdis epithetis adornabat; aduerſarios, impios, perditos, deſperatos, canes mortuos appellabat, atq; eiuſmodi deſcribebat, vt ſi deteſtabiles eſſent, & indigni, quorũ eſſet inter homines memoria, vel qui ſermone hominum vſurparentur. Hoc vt intelligatur eſſe veriſsimum, vnicus ille liber efficiet, quem ſcripſit aduerſus quendam, qui ei in materia prædeſtinationis reſtitiſſet. Hunc igitur cùm neque poſſet neque vellet nominare, eum appellauit nebulonem.

Hæreticorũ ſcommata. Atque hæreticorum & ſchiſmaticorum omnium qui vnquam fuiſſe memorantur is fuit ſtylus, ea fuit oratio: cuiuſmodi eſt & adhuc hodie Bezæ & ſociorum, qui tum

tum familiari ſermone, tũ ſcriptis & editis libris, toti in eo ſunt, vt aduerſarios ſcõmatis, irriſionibus, & calumniis onerent : nec tantùm Catholicos & Orthodoxos, verùm etiam eos (ô indomitam & immanem conuiciandi libidinem) quos ſuis impoſturis ab Eccleſia Chriſtiana & Catholica, ad ſua conuenticula pertraxerunt. Quod aduerſus Ramum Bezæ contigit, hominem longè iſto doctiorem. Eum enim, quod ab illo fuerat apertè liberéque reprehenſus, tam incredibili odio, etiam mortuum proſecutus eſt, vt ſuæ inhumanitatis teſtimonium poſteritati reliquerit. Quam tamen iniuriam, ſuo arbitrio nondum ſatis vltus, vt immanitati ſuæ ſatisfaceret, edidit Icones virorum illuſtrium, è quorum numero Ramum exemit, vt quantum poſſet, eius memoriam obrueret obliuione ſempiterna. Sed in eo libello impotentia animi, ſtultitiam hominis ſatis indicauit, dum illuſtres eos eſſe diceret, homines ſi paucos excipias, nullius planè momenti, ſibique & ſuis tantùm notos, aut à quibus beneficium acceperat. Nam ſi qui fuêre qui beſtiam non adorârint, eos indigniſsimè, ſpectantibus vobis, exercuit, nemine opponente ſe eius

Bezæ odiũ in Petrum Ramum.

audaciæ, vt recentia ſunt apud vos exempla, & in tabulas veſtras relata.

NE REPETAM obſoleta vetuſtate, quid de eo æſtimari poteſt, quod ipſe tam impotenter iudicio proſecutus eſt, Merlinum è veſtris miniſtris vnum, literis Hebraicis inſtructiſsimum, ſi quem alium ab infelici tempore mutatæ Religionis habuiſtis. Meminiſſe debetis conceptam eius, intimis ſenſibus aduersùs eum, inuidiam, quòd in concionibus eſſet diſcipulis acceptior, literatis hominibus eruditione clarior, & reliquæ plebi multis partibus Beza iucundior.

FAVOREM Merlino conciliabant vitæ conſuetudo modeſtior, mores amabiliores, & exemplo probatiores, & in Prophetis ad amuſsim hæreticæ veſtræ prauitatis, examinandis & explanandis, dexteritas exercitatior, quemcunque faſtum iſte præ ſe ferat. Omninò enim, ambitioſus, regnare vult, & ſolus digito monſtrari & dicier hic eſt (vt ille ait) vti Phœnix aliquis, qui parem toto terrarum orbe non habeat.

BEZA

BEZA IGITVR, cum inueterato in Merlinum odio flagraret, & inuidia rumperetur, nihil obſeruabat aliud, quàm vt occaſionem arriperet, declarandæ in illum egregiæ ſuæ voluntatis. Quam, vt ſeſe primùm obtuliſſet, minimè prætermiſit, ſed diu celatum vlcus aperiens, in miſerum nihilque tale metuentem Collegam, ſuæ maleuolentiæ virus effudit. Nam dum veſtram vrbem peſtis inuaderet, cùm affecti morbo, ſine cuiuſquam ope, diu neglecti iacuiſſent, tandem le Gaigneur è Miniſtris vnus, nominatus eſt, qui per ciuitatem obambulans eos inuiſeret. Hic ſuæ vitæ timens, conſilium init, quo ſic munus illud obiret, vt interim ipſe nihil periclitaretur: Itaque ægrotos eminùs affari hortarique cœpit, non etiam intrare domos: ita vt ſuo munere tamen egregiè functus, & affectis ſatisfeciſſe videretur.

Bezæ odium in Merlinum.

Peſtilentia correpti, Genevæ à ſuis Miniſtris deſeruntur.

SED CVM hoc perſpexiſſet è Syndicis vnus, neque id conſilium ſatis probaret, rem ad ſocios retulit, qui è veſtigio Miniſtrum iuſſerunt, & in ædes ingredi, & ad laborantium lectulos accedere. Re in Senatu diſceptata, ſancitum eſt, non poſſe magi-

magistratum in eo quicquam ministris edicere, cùm enim ea ratione fieret decumbentibus satis, licere ipsi le Gaigneur, & aliis eiusdem in eo munere sociis, suæ valetudini prospicere, & occasiones morbi, bonis artibus declinare. Neque enim permittit ipsis sua fides & caritas, vitam pro Dei gloria, vel salute proximi profundere, neq; viam istam eorum quisquam ingreditur. Memoria tenetis, opinor, Merlinum causam Collegæ sui Gaigneur suscepisse, & in defendendo Senatusconsulto acrem perstitisse. Quod Beza perspiciens, qui eum sciret in concepta semel opinione pertinacem (quæ laus constantiæ est, si præsertim assensu communi decreta sit) etsi principiò carissimum Gaigneur habuisset, eumque, quòd vir esset ætate floreti & elegans, suum filium appellaret, eius tamen partes deseruit, vt aduersus Merlinum, tandem aliquādo in campum descenderet.

Beza vindictæ appetens.

TVRBVLENTVM igitur hoc ingenium, de vltione perpetuò cogitans (quod ipsa re multi experti sunt) telam hanc ordiri cœpit, perfecitq; breui, partim ambiendis iudicibus, partim terrefaciendis, si qui essent qui leuiusculi longam suam illam barbam exti-

extimeſcerent, vt illos corruperit, & à priſtina ſententia depulerit. Merlinus, qui ob rem paruam facilè non moueretur, à ſua ſententia deduci non potuit, ideoque à vobis in Senatum appellatus eſt & abſolutus, neque enim rem eſſe eiuſmodi cenſuiſtis, vt aduerſus illum durius ageretur. Continuò Bezam in accuſatione ferociter perſiſtere, permiſcere Senatum, fulgurare, fulminare, eiq; Merlinum pariter, quamquam maiori cum modeſtia moderationeq;, reponere. Ad extremum, Sycophantę huius tanta fuit importunitas, tam implacabilis ira, tamque atrox audacia, vt nulla neque occaſione iuſta, neque forma legitima, quæ aliàs, inter vos recepta eſt, more maiorum, à ſuo munere officioque Merlinus exciderit. Ei enim ſententiæ vos ipſi conſenſiſtis, vt tyrannidi importuniſsimæ ſuperbiſsimi iſtius Antichriſti morem gereretis, eaque ratione, Academiæ veſtræ florem, ſpem diſcipulorum, & eruditorum hominum in veſtra ciuitate delicias vno tempore perdidiſtis. Deinde quid putetis de inſidiis quibus Dominum de Pacy excepit in Galliis, eò quòd iſto clarior haberetur? Vatiniano illum odio proſequebatur, quòd, ſe neglecto, legatus

Beza implacabilis.

tus á defuncto Principe Condęo, eiusque sociis, ad Imperatorem Ferdinandum piæ memorię, statusq; Imperij Francofurtum, anno 1562. missus esset, vt arma à se suscepta per illum excusarent. Igitur, cùm innocens esset ille de Pacy, damnatum tamen supplicio affeciſtis, atque iudicium, instigante Beza, præcipitâstis, cùm illud intelligeretis, fore vt vicem quidam vestri potentiores, vobisque formidabiles ipsum reposcerent. Adhuc tamen eius innocentię creditur, apud omnes populos, quibus Geneuę nomen est cognitum, etsi contrarium in vulgus spargi multorum scriptis & prædicatione curâstis. Cui si se suamq; vitam iuridicè tueri per vos licuisset, ea fortasse de vestro Patriarcha ab ipso accepisse-tis, vt eum diuturniore lucis huius vsura indignum esse censeretis. Vt rem in pauca conferam, neque superiorem patitur, neque parem, nisi qui sibi deferat omnia, atque ea fortasse quæ vix puer à pedibus hero tribueret, quæ nota est Antichristi certissima, qui sine vocatione electionéue, in eos exercet tyrannidem, quos vt fratres, minimùm teneretur agnoscere.

Beza neq; superiorem neq; parem patitur.

MINI-

MINISTRI quidem reliqui & Sacramentarij in blasphemiis & conuiciis, quæ petulantissimè in Sacramentum corporis CHRISTI, & Ecclesiam Catholicam (quam Cacolicam vocant) congesserunt, Berengarium eiusque sectatores superant, qui pro Pontifice Pompificem & Pulpificem scribunt, sed iis tamen de rebus, itemq; de IESV CHRISTO, eiusque matre Virgine MARIA, nunquam tanta verborum contumelia locuti sunt, quanta Beza & eius asseclæ. Vestræ verò partes sunt (Magnifici) his de rebus prudenter ferre iudicium, omni constantia & integritate mentis, neque illud in vestra ciuitate perpeti, vt ibi Satan eiusque ministri regnum sibi stabiliant, & miseras animas, CHRISTI Seruatoris sanguine lotas & assertas, in fraudem inducant.

Beza Berengario Sacramentario petulantior.

PROGREDIAMVR vlteriùs, & videamus quo spiritu Beza ducatur. Stylum ipsius in eius scriptis consideremus, nihil admodum reperies, præter vanas ineptias, loquacitatem, nænias, quisquilias, tricas, præter mendacia, impuritates & impudicitias, præter contumelias, scommata, probra, iniurioſa verba & epitheta, falsa tamen qui-

Beza spiritus & stylus.

quibus aduersarios impotēter afficit. Quod è regione pugnat cum doctrina CHRISTI Domini, & eius Euangelio; vetuit enim quemquam iniuriosè accipi, ac pœnas decreuit, quibus ij sunt obnoxij, qui de fama proximi detrahunt, vel eius existimationem offendunt.

Obseruemus & aliud, quod quidem glorioſi Thrasonis est, superbi, & putidè arrogantis, qui non exspectat dum laudetur ab aliis, sed ipsum se ornat, multa enim iactat Beza, seseque aliquid esse putat, vt talis inter idiotas & simplices habeatur: sed ad populum phaleras, ait ille; prudentiores enim illum intus & in cute norunt. Ad apologiam cōtra Sanctæum quam suprà commemorauimus (in qua illum mille conuiciis perspergit) adiunxit aliud opusculum, iisdem caracteribus impressum, eodem loco & anno, scilicet 1567. in quo quilibet alicuius iudicij eius dictionem & phrasim agnoscere possit, illud tamen dissimulat & adscribit alteri *ficti*tio nomine Theopsaltis. Qua quidem in re similis est planè Iurisconsulto, aut alicui alij in honoris gradu collocato, qui modestiæ fines egressus, aliquantò laxius atq; solutiùs agere gestiens, assu-

Beza Theopsaltes.

assumit laruam, & sibi minimè consuetas vestes accommodat. Qui tametsi à plebeis & rudioribus non agnoscatur, fallere tamen prudentiores saniorisque iudicij homines non potest, quin eum incessu, gestibus, & aliis indiciis ipsum esse deprehendant. Perpendamus igitur quid ipse de se in eo libro scribat, aduersus Sanctæum, q eius sese Caluiniq; dogmatibus exposuit. *Porrò (ait) vt inuadere in mortui sepulcrum immanitatis: ita Bezam etiam in certamen vocare temeritatis fuit. Qui enim totius scholæ Sorbonicæ turmas, qui Episcoporum cohortes, qui doctorum Lutetianorum aciem in campo illo Possiacensi non extimuit: an poterit vnius sagittarij telo inflexo obtusoq; commoueri?* Quænam, quæso (Magnifici) verba ista sunt? Videtur esse Remuli illius Numani apud Virgilium persimilis, qui de se suisq; gestis mira prædicat, mox imberbis & inexercitati adolescentis telo configendus. Satis enim constat quo in precio, quoque in numero Beza tum fuerit, & quàm operæprecium audire tacentem, & solationes Petro Martyri sociisque relinquentem. Sed vbinam in libris Patrum eiusmodi voces Thrasonicæ, vbi talis iactantia, si quando de se suis-

Bez. & Sanctus.

Lib. 9.

que rebus, verba faciunt?

Hoc ſolo argumento poteſt intelligi, non eſſe eum ex filiis Dei, neq; Spiritu Iesv Christi duci: itaq; ſententiam illã B. Pauli repeto; Qui nõ habet Spiritũ Iesv Christi, non eſt Iesv Christi, ſi non eſt Iesv Christi, à quo tandem niſi à Satana profectus ſit? à quo niſi à principe tenebrarũ exierit? Sed inſpiciamus geſta hominis non paulò grauiora, quàm ea quæ in rebus mimicis, mendaciis, iniuriis iactantiaq; cõſiſtere diximus. Enimuerò proditorem eſſe, aduerſarios ad mortem vſque perſequi, bella inter Principes commouere, ſeditiones inter populos excitare, maioris alicuius momenti ſunt, & atrocioribus ſuppliciis vindicanda.

De Bezæ dolis & fraudibus.

De dolis eius & fraudibus in eos qui ipſi plurimùm confiderent, ſubiiciam hiſtoriam, quam ne ipſe quidem negare poſsit. Nam quidam adoleſcens (nomen eius non prodam memoriæ niſi requiſitus) cùm diſcipulus eſſet Bezę ſtudioſiſsimus, & in eius amore ſibi beatus eſſe videretur, cùm intelligeret, Legatum Britannię ad Regem Galliæ, adoleſcentem expetere honeſtis moribus & doctrina liberali, cui ſuos liberos in diſciplinam traderet, quos paulò pòſt in Ger-

Germaniam missurus esse diceretur: is, inquam, adolescens iis rumoribus excitatus, ad Bezam accessit, fauorem eius & fidem implorat, vt literis, apud Legatum perficeret, vt liberis illis inspector nominatus, eos in Germaniam studiorum causâ deduceret. Id cùm se Bezæ facturum esse recepisset, pecuniam colligit adolescens, vt ad Legatum, qui tum temporis Lutetiæ in aula Regis esset, quàm posset celerrimè proficisceretur. Beza igitur dedit ad Legatum literas, quibus acceptis adolescens in spem erectus, vt in earum gratiam optatis potiretur, discedit. Ingressus aulam, oblatisq; Legato literis, vultum eius animaduertit, ad indignationem magis, quàm ad beneuolentiam esse compositum: nam tantùm aberat, vt eius causæ negotióue facerent, vt nominatim admonerēt, ne petitionem eius admitteret. Bellerophontis erant literæ. O homo & humanitatis expers, & vitæ communis ignarus! Legatus perfidiam hominis & impostura demiratus, molesteq; ferens ingenuum adolescentem, & sumptus feciſſe, & labores frustrà susceptisse, communicatis cum eo literis, ei pecuniarum nonnihil in sumptus reuersionis

impertiit: Offenſus interea mirificè, ob tantam ab eo profectam iniuriam, qui ſe ex filiis Dei prædicaret, & miniſtrum eſſe verbi eius ſeſe mentiretur. Qua verò ratione Doctorem, ſe verbi Dei eſſe iactet is, qui ipſum minimè factis obſeruet? qui contraria via incedat? Scitum enim illud eſt, quod apud Lucam CHRISTVS ait: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. An tali Beza ſe proditione traductum eſſe velit? Hinc facilè concluditur, in eo Spiritum Dei nullum eſſe, nullum ſtudium veritatis, ſed Pſeudoprophetæ partes eum ſuſcepiſſe.

Exempla Bezæ immanitatis.

IAM immanitatis in eos, qui ipſi contradicerent, aut quibus malè eſſe vellet, exempla videnda ſunt. Mandatum eſt, Euangelica lege Chriſtianis, vt ab omni iniuria abſtineant, ſibique illatas, ab aliis contumelias ferant, adeò vt qui dignè & diligenter euoluerit vitas & geſta ſanctorum Apoſtolorum & Doctorum Eccleſiæ Catholicæ, illos ſemper afflictos, pulſos aut etiam interfectos ab infidelibus hæreticis & ſchiſmaticis fuiſſe deprehendat. Apoſtolorum diſcipulorumque vitæ & martyrologia in manibus ſunt, Doctorum item ſanctorumque

que Patrum expreſſæ hiſtoriæ, quibus, ab hæreticis, vexati ſemper & afflicti fuiſſe memorantur. Ac vt ex infinitis pauca quædam exempla ſubducam, Euſtachius Pamphilus, Epiſcopus Antiochenus ſub Imperatore Cõſtantino, Arianorum importunitate, relegatus eſt Traianopolim, quæ ciuitas eſt Thraciæ. Euſebius Epiſcopus de Vaſeil, inſtigantibus etiam Arianis, deportatus eſt in Cappadociam. D. Hilarius Epiſcopus Pictauienſis, ſic fuit ab hæreticis diuexatus, vt extorris è patria in Phrygiam conceſſerit. Quidam Geronenſis Epiſcopus, nomine Ioannes, natione Gothus, imperante Phoca, latere diu coactus eſt, ob calumnias & opprobria hæreticorum, quos impugnauiſſet. Inter reliquos, Athanaſius, Alexandriæ Epiſcopus, vt ſanctiſsimus, ita etiam eruditiſsimus, ſic variis hæreticorum inſidiis eſt exercitus, ſic appetitus inſultibus, vt errare per orbem ferè vniuerſum coactus ſit, & tandem ad Conſtantium, qui Catholicus eſſet, ſeſe recipere. Iſti verò, præſertimque Beza, non modò calumniis vexant, & diris, verbo ſcriptoque deuouent, quos odio proſequuntur, verùm etiam in eorum necem cædemque proditoriè conſpirant.

Epiſcopi male ab hæreticis multati.

Cades Ducum Guisij.

spirant. Ausitné, sceleſtus inficias ire, Illuſtriſsimum Principem Guiſium apud Aureliam, eius ſuaſionibus, à Poltronio infami nefarioq́; proditore cæſum eſſe? Atqui proditor id ſe feciſſe Beza auctore cõfeſſus eſt, & dum in diuerſa Lutetiæ quadrigis religatus diſcerperetur, ſe ſi factum non eſſet, qua ratione daretur, eſſe perfecturum. Quis autem adeò hebes eſt aut plumbeus, qui proditiones eiuſmodi à Deo non eſſe neſciat, ſi proditorum exitus horrendos perſpiciat?

Vindices populi Dei.

Aod, vti ſcribitur in lib. Iudicum, cap. 3. cùm inſiliſſet in eum Spiritus Domini, ſolus ad inferendam necem Eglon Regi Moab profectus eſt, atque poſt illum Samgar filius Anath, aculeo quo boues incitantur, 60. Philiſtæos percuſsit, populumq́ue Dei in libertatem vindicauit. Exſtat & in libris Regum Dauidis hiſtoria, qui cùm paſtor eſſet adoleſcens ac penè puer, nullis aliis armis, niſi pedo paſtorali, & quinque lapidibus inſtructus, ad ſingulare certamen cum Goliath inuſitatæ magnitudinis gigante deſcendit, eumq́ue profligauit, cùm ſolus antea totis Iſraëlis caſtris terrorem incuteret, & verſos exercitus in fugam turpiter ageret. Denique hiſtoria Iehu vel ſola argumen-

gumento esse posit, Deum, quos ad asserendum populum, opprimendumque Tyrannum miserit, eos perfecta re, illæsos integrosque solere reducere. Quod Poltronio & aliis immissis à Beza sicariis non contigit. Nam post contentissimum cursum & fugam rediit ad locum vnde discesserat, captus est & fœdo supplicio affectus, quemadmodum & antea Ville-Mongis, qui solo instigante Caluino & Beza, non etiam inspirante Deo, Amboſium aduersus iuniorem Regem profectus est. Deus enim in ipsorum perniciem & ruinam, sua illorum consilia inuertit, vt facilè constet, non esse auctorem Deum sui facinoris istiusmodi homicidis, sed potiùs malignum spiritum, qui seducem offert Pseudoprophetis & falsis Doctoribus, vsurpatoribus nominis Dei, & seductoribus multitudinis imperitæ. Itaque in eam curam cogitationemq; diligenter est incumbēdum spiritus vt probemus, num Dei sint, an potiùs eius qui Simius Dei est, Diaboli. Impostorem igitur, duplici animo & fallacem, versipellem, mendacem & cędis bonorum plurimorum auctorem Bezam esse, ex iis exemplis, quæ à nobis prodita sunt, constat.

Poltronius à Beza immissus.

Poltronij supplicium.

Dæmō Pseudoprophetarum dux.

Bella & seditiones auctore Beza.

VIDEAMVS iam de bellis, seditionibus, turbis, vrbium inuasionibus, combustionibus arcium, ædium direptionibus, vastationibus oppidorum & pagorum, templorum prophanationibus, prouinciarũ ruinis, quæ omnia opera scelerati Bezę, in Galliis aliisq; multis locis, nata sunt, cõflata, susceptа, perpetrata. Quibus ita positis, qua se ratione Beza, quaq; via purgare queat, quò minùs Satanæ filius, & Principis tenebrarũ instrumẽtum esse verisimè proferatur? Primum omnium certum est, à Caluinistis Bezanisque hæreticis vrbes tota Gallia fuisse occupatas, Anno 1562. qui fuit annus sequens, post bellisimum illud colloquium Posiacenum. Cùm enim illud Dæmoni non succesisset, vniuersam Gallıam Beza inflammauit, & vbique rebelles excitauit, adeò vt præcipuæ vrbes statim interciperentur, & ab hæreticis, Dei, superiorum, decretorumq; Ecclesiæ Catholicæ cõtemptoribus tenerentur. Hoc aũt totum ab auctore Deo causam nõ habuisse liquet. Nam vrbes & loca omnia ita nefario conatu, contra Dei voluntatẽ occupata, dimittere prędones & latrones fœdisimè coacti sunt, atq; inde turpi fuga sese subducere. Dixi auctore Satana, mini-

miniſtroque Beza, eiuſmodi rebelliones & inuaſiones emerſiſſe; Is enim eo tempore cucurrit in Heluetiam & Germaniam, vt Gallis perduellibus facinoroſos & profligatos quosq; fugitiuos, & exules coniungeret, in quorum conſortio ſæpe viſus eſt, tanquam alter Catilina vel Spartacus, quod ne ipſe quidem inficias ierit, niſi abiecto omni pudore Chriſtiano, manifeſtiſsimo ſe mendacio teneri velit, & eo pacto, mendaciorum principis Diaboli ſe filium eſſe profiteri. Scio enim me in rebus celebratiſsimis omnium ſermone verſari. Sed antequam pergamus vlteriùs, percipite quem exitum hæc eorum fabula habuerit. Dux Bipontinus, repentinò poſt cœnam extinctus eſt: ſui, vaſtata miſerè Gallia, omnes ad vnum cæſi. Princeps Condæus, cum ſuorum parte maxima trucidatus. Gaſpar Collignius, in fugiendo ſemper, ex veteri quadam arte ſua, primus tandem annuentibus ſuperis, cecidit in foueam quam Regi dudum & piis Galliæ principibus effodiſſet. Quod ſi tot cladibus identidem perduelles affecti ſunt, nunquā victores, ſemper victi, quis voluntati diuinæ id acceptum non ferat?

Beza Heluetiorū & Germanorum exules ſollicitat.

Exitus Gallis perduellium.

SED de his hactenus: inſultus iam & ca-

Delphinatus calamitates Bezæ opera.

lamitates videamus Delphinatibus & vicinis regionibus, inſtigãte Beza illatis. Quod ipſa luce clarius eſt. Neque enim Capitanei iſtorũ & belli Duces ad rei cuiuſquam molitionem, vrbium inuaſionem, arcium, portuum, propugnaculorum incitantur, quin à ſuis Miniſtris adducantur, & iſti nunciis Bezæ & literis ad incendium ciuile inflammentur. Huius rei proferam tria exempla apertiſsima. Primum eſt ingenua Baronis Adreſij confeſsio, qui illud adſeſſori, des Portes, multis aliis è Senatu Gratianopolenſi audientibus confeſſus eſt. Alterum ſumitur ex ipſius literis, quibus petit à Domino de Diguieres, vt vinctum quendam apud Delphinates nobilem reſtituat, idque ab eo impetrat. Literæ adhuc apud me ſunt, & ſi non eſſent; illud tamen ab hominibus fide dignis comprobare poſſem. Atque ſi eò impudentiæ fortè venerit, id vt negare velit, illud adduxero, fuiſſe interceptas literas eius innumeras, quibus ad quaslibet inuaſiones & direptiones, ſuos illos Capitaneos & Duces adhortatur. Item alias adduxero, in eum finem à ſe ſcriptas ad Miniſtros illorum Capitaneorũ, in quarum capite legeretur:

Baronis Adreſij cõfeſſio de Bezæ literis.

retur: Dominis & fratribus Miniſtris Eccleſiarum reformatarũ in Delphinatu aliisq; prouinciis. In primis autem id negare non poteſt, quod anno 1574. contigit apud vrbem d' Aneſſy, in pago cui nomen Vegrier, in quo comprehenſi ſunt certi milites, à Capitaneis quibuſdam collecti, quorum Princeps eſſet & Dux primarius quidã Comes Heſſus, cui ſuberat, Aduocatus quidã nomine Picolin, Capitaneus cohortis conſcriptæ ex Languedoc, itemque Rouſſetus Montbrumi gener, qui ſimiliter cohorti Delphinatiũ præfuit. Qui è tota turba potuerũt, ſeſe fuga ſubduxêre, ſed tres illi præcipui cum ſuorum nonnulli capti ſunt, & in vrbem d' Aneſſy adducti.

Caluiniani milites capiuntur.

NOTANDVM autem hîc cumprimis illud eſt, hos, cùm ſe captos eſſe perſpicerẽt, literas quaſdam occultare voluiſſe, iis ſub lodice depoſitis cubiculi in quod deducerentur, ſed à quibuſdam animaduerſos, & delatas in vrbem Aneſſy literas. Igitur Capitanei cùm in Senatu ſedulò rogarentur, quidnám agerent, quidúe molirentur, nullam aliam cauſam ſui conſilij factiq; afferre potuerunt, quàm ſe à Theodoro Beza accerſitos, à quo literas haberent, cæterarũ rerum

rerum ſe eſſe inſcios. Ex quo ſatis conſtat, vt in ſeminibus cauſa eſt arborum & ſtirpium, ſic luctuoſiſsimi atque diuturni in Gallia belli Bezam ſemen extitiſſe. Turbis enim & inuaſionibus, interceptionibus vrbium, agrorum populationibus, decretorũ quibus in tranquillitate Gallia retineretur, reſciſsionibus; peregrinorum incurſionibus, quibus exhauſta Gallia eſt, Beza, vt Satanæ, ſeditionum, diſſenſionum bellorumq; parentis miniſter & organum cauſam dedit. Vnde manifeſtum eſt ipſũ minimè Dei eſſe, qui vnus pacis & conſenſionis eſt amantiſſimus.

Gallicorũ tumultuũ Beza auctor & qua ſi ſemen.

QVOT adoleſcentes ingenuè & liberaliter educatos, cùm ex veſtra vrbe, tum ex vicinis municipiis corrupit, & indies corrũpit, qui relictis parentibus & patria in militiam proficiſcuntur, vt aggregentur perduellibus, quos fratres, auctore Beza, vocant? Putant enim ea ratione rem ſe Deo facere gratiſsimam, cùm id eius verbo voluntatiq; repugnet, vt ſatis declarat exitus. Nam eorũ interficiuntur plurimi, alij à latrunculatoribus vinciuntur, vt non ita pridem, quidam è veſtra ciuitate inter Gratianopolim & Camberiacum, quorum parẽtes, redemptionis

ptionis ergô misêre pecunias, cum literis Magnificorum Bernensium, qui in fauorem captiuorum scriberent: eæ per ciuem quendam d' Anessy latæ sunt (nomen eius tum, cùm opus erit, aperiam) sed ille vobis est amicus, quisquis est, vestrique studiosissimus.

Ecqvis verò nescit Baronẽ d' Aubonne esse Bezæ manum, qui nunquam perditos illos suos ganeones educit, nisi ad arma, & tanquam classicum Beza cecinerit. Eius tamen parens defunctus Baro, Montalbani quondam Episcopus, eiusmodi facta, plena insolentiæ nunquam tolerâsset. Intelligebat enim quo spiritu Beza, quo Caluinus duceretur, eorumque in sua peruersitate socij, hinc illæ lachrymæ, hinc illa eius pœnitentia, squalor atq; mœror, quòd in eam regionem pedem vnquam intulisset, ex qua, referre, non fuit integrum. Sed in vita Caluini de illa re satis.

Baro d' Aubonne Bezæ manus.

Vt igitur ea sit extrema vitæ morumque Antesignani vestri Bezæ clausula, illud minimè silent: prætermittendum est, parentem eius, qui Vezelij Prorex fuit, dum in extremis ageret, ac ei in mentem veniret vita filij turpissima, & flagitiosissimi mores, iis

quæ

quæ ad optimi veriq; Chriſtiani & Catholici officium munusq; pertinent piè riteq; perſolutis: agnitis in ſe IESV CHRISTI beneficiis, peccatis integrè pureq; confeſsis, accepta iam pro Eccleſiæ conſuetudine venia peccatorum, antequam CHRISTI Domini ſanctiſsimum corpus in viaticum ſalutis acciperet, Tabularium publicum accerſiuiſſe cum teſtibus, inſtrumentoq; ſolemni & celebri filium ſuum Theodorum Bezam exhæredâſſe ac repudiâſſe, vti Deo hoſtem, Regi proditorem, & ſibi patri rebellem, illudq; ad extremum adieciſſe, ſe illum ad tribunal CHRISTI Domini appellare. Qui paulò pòſt Deum inuocans, atque eum laudibus ornans, ſuſcepta cum omni reuerentia & deuotione ſacra Euchariſtia, & oleo ſancto, pro Eccleſiæ Catholicæ ritu vnctus, animam Deo reddidit.

Theodorus Beza à parẽte Catholico exheredatur.

Beza parẽs moriturus Eccleſiæ Sacramentis munitur.

HACTENVS igitur, Magnifici honorificiq; Domini, vitam, mores, & res geſtas Archiminiſtri veſtri Bezæ accepiſtis, qui integro adoleſcentiæ, propeq; totius vitæ curriculo impuriſsimus fuit & impudiciſſimus, Sodomita nefarius, adulter execrandus, nuptarum expugnator ſceleſtiſsimus, latro facinoroſus, fur improbiſsimus, ſacrilegus

Enumeratio multiplicium Bezæ facinorum.

legus nequiſsimus, impoſtor audaciſsimus, homicida immaniſsimus, ſuæ ipſius prolis interfector crudeliſsimus, iactator vaniſsimus & impudentiſsimus, auctor & cauſa cædium innumerabilium, bellorum ciuilium & ſeditionum, incurſionũ, prædationum, combuſtionum, direptionis & vaſtitatis vrbium, arcium, caſtrorum, pagorũ, oppidorum, templorum, regionum, & infinitarum hoc miſero infeliciq́ue ſeculo miſeriarum & calamitatum. Iam veſtrarum partium illud eſt, vt ſtatuatis, quonám tandem ſpiritu agitetur, & an idoneus Miniſter verbi Dei eſſe poſsit, tot ſceleribus tectus, & tot vndique flagitiis conſpurcatus. Vocem Apoſtoli, locis antea commemoratis audîſtis: Ne Spiritum Dei extinguatis, qui ſine intermiſsione pulſat ad oſtium animorum noſtrorum, vt eos ſua luce & gratia colluſtret. Nolite igitur ipſum extinguere, nolite ipſi, perturbationibus animi prauis, reſiſtere, neúe induremini aduerſus illum obſtinatione quadam & pertinacia. Qui enim Spiritui ſancto aditum ad ſe præcludunt, ab eo iure deſeruntur, & in denſa cęcitate relinquuntur, dum

dum ſua ipſi culpa præcipitis in exitium ſempiternum ruant: à quo vos ſeruare velit is qui eſt optimus & clementiſs. vosq;, hac mea cohortatione, in eius nomine apud vos inſtituta, à ſomno longè periculoſiſsimo ſuſcitet, quo captos & irretitos, velutq; ſuis præſtigiis incantatos vos Pſeudoprophetæ & falſi Miniſtri longo iam tempore detinent. DEVS Opt. Max. excitet veſtras mentes, & eas ſua gratia colluſtret, & vobis omnia bona, cùm animi, tum corporis, hîc & in cœleſtibus impertiat, Amen.

PAN-

PANTALEONTIS THEVENINI LOTHARINGI COMMERCIENSIS, I. V. D.

De vita Theod. Bezę, Cento.

AD LECTOREM.

STATVERAM, Lector, ad Bezę vitam ſcholia è variis Scriptoribus adiicere, ſi tuliſſent anguſtię temporis, & noſtrę tralationis exemplar ab eorum manibus recepiſſem, qui more Catholico, res antequam imprimantur, examinant: itaq; Centonem tantùm accipies, ſed è probatis auctoribus, vt Beza viuus, qui Romanos Pontifices dudum mortuos, falsò cum ſuis criminari ſolet, ad veriſsima ſua encomia, ſi quid habet reſpondeat. Habebit enim hîc proculdubio quod mordeat vel quo mordeatur. Etſi verò in Centonibus & Collectaneis nulla ferè ratio ordinis exigi meritò poteſt, ſequar tamen ſeriem rerum ab eo geſtarum, vt à Medico illo noſtro referuntur, quantum quidem ipſam mente memoriaq; comprehenſam habeo. Ac quoniam narrationis de vita Bezę partes duæ ſunt, à priori ducamus

Caluiniſta cum omnibus hæreticis habent aliquid cõmune.

exordium. Longè enim eſt illud veriſsimum, quod à Bolzeco ſcribitur, Caluinianos & Bezanos, cum omnibus illis Hæreſiarchis, qui ab ipſo commemorantur, in aliquo conuenire. Nam cùm olim quidẽ hisq; noſtris temporibus, hęretici fuerint propemodũ innumeri, Caluiniſtæ cum omnibus in aliquo ſcelere coniunguntur, iſtorumq; omnium ſunt colluuies, vt in Chronologia, G. Genebrardus, Theologus Pariſiẽſis eruditiſsimus inductione lõga probat, præſertim lib. 4. ad finem ſextæ ætatis. Quin recta ad Atheiſmum tendit veſania Caluinianorum, vt quidam impietatis conuictus Metis reſpondit, eſſe ſe quidem Caluiniſtam, itidemque Atheum, nolle enim ſe huiſmodi Deum habere, qualem Caluinus & Beza deſcriberent, omnis ſcilicet ſceleris & peccati effectorẽ, impulſorem, & auctorem. Tendit & ad Mahometem, neq; vlla vnquã perſuaſio fuit Mahometiſmo propior, vt libro de Antichriſto oſtenſurũ ſe recepit Genebrardus, in Chronologia, lib. 3. ſeculo ſexto. Sed ne videar alieno niti baculo, & ſanctiſsimis videlicet hominibus calumniam affingere, ſcripta eſt anno 1560. Conſtantinopoli epiſtola, quam typis excuſam perlegi, & in qua quid

Caluiniſmus tendit ad Atheiſmũ & Mahometiſmũ.

quid Euangelici apud Turcas etiam moliantur expreſſum eſt. Eius ſummam ſic expreſsit Surius in hiſtoria, p. 750. & 751. In his literis (ait) fit mentio cuiuſdam non poſtremi Hugonotæ, qui ex Galliis venerit Conſtantinopolim, & ibi multa egerit cum ſupremo Baſſa homine aſtutiſsimo, de Hugonotis, in Turcarum Imperatoris fidem & tutelam ſuſcipiendis. Sed cùm intellexiſſet Baſſa, Hugonotas aduerſus ſuum Regẽ Carolum rebellare, in hominem valdè cõmotus eſt. Non enim ille negabat Hugonotas ſubeſſe Regis imperio, ſed rebelles eſſe propter religionem ipſorum, quæ ſit Turcicæ proxima. Item paratiſsimos fore Hugonotas ad turbas & ſeditiones in Germania procurandas, quoties id Turcis commodum videretur. Item fore Hugonotas Turcis ſocios vtiliſsimos, quòd non ſolùm Regem ſuum vexare poſſent, ne affinem ſuum Regem Hiſpaniarum contra Turcas milite vel conſilio iuuet, ſed etiam per aliquot potẽtes Alemaniæ Principes, qui Hugonotarũ rebus manifeſtè faueant, ipſum Romanorũ Imperatorẽ impedire in omnibus, quę contra Turcas ſuſciperet. Hæc tam fœda, tam prorſus ab omni Chriſtiana pietate, immò

Caluiniſtæ cum Turcæ paciſcuntur.

Caluiniſtarum artes.

Caluiniſta a Turca ſpreti.

etiam ab omni humanitate aliena auſus eſt Hugonota ille Turcis proponere. Sed Baſſa reſpõdit per interpretem, Hugonotas longè inferiores eſſe, quàm vt ad illorum amicitiam ſeſe demittat Turcarum Imperator, nec fidem haberi debere iſtis ſociis, qui proprium etiam Regem proderẽt & impugnarent. Turcas ſolitos eſſe cum Imperatoribus, Regibus, & magnis Principibus agere, non cum perfidis ſeruis, & rebellibus ſubditis. Ex his poteſt intelligi, ipſos Hugonotas fateri ſuam religionem Turcicę eſſe proximam: tum quàm parati ſint ad gratificandũ Turcis, ad excitandas ſeditiones in Germania, &c. O miſeram ſanè hoc æuo Chriſtiani orbis conditionẽ, qui à nullo magis proditur, Chriſtiani nominis atrociſsimis hoſtibus, quàm ab illis qui vel maximè Chriſtiani, & reformatæ religionis videri volũt! Hæc Surius. Atque ea de re ſatis. Iam quod Bolzecus conqueritur in hiſtoria, tot ferè eſſe ſectas hodie quot capita, id vberiùs Ge-

Hæreticorũ hoc tempore ſecta.

nebrardus recenſendo commemorat, ad finem ſexti ſeculi, lib. 4. Chronologiæ. Hæretici (ait) Lutherani (eſt enim Lutherus Hydra, ex cuius corpore pullulârunt hæc capita) Zwingliani, Carolſtadiani, Seruetiani,

tiani, Anabaptiſtæ, Oſiandrini, Dauid Georgius, Trinitarij, Antitrinitarij, Autotheani, Campaniſtæ, Caluiniſtæ, ſiue Hugonotij, Adamitæ in Hollandia, Suenckfeldiani, Vbiquitarij, qui & Brentiani, Bibliſtæ, Amſdorfiani, Maioriſtæ, Tropiſtæ, Antidæmoniaci, Infernales, Adeſſenarij, Antinomi, Athei, ſiue Epicurei, Puritani, & Laicocephali in Anglia, Vncti in Surtia, Comitatu Angliæ, Familia de amore, & Illuminati in eadem Anglia, ita, vt non modò à noſtris, Hoſio, Lindano, Prateolo, Staphylo, Sanctio, Beaux-amis, verùm etiam ab ipſiſmet, vt Lauathero, Lipſienſibus, &c. plus ducentæ ſectæ numerentur. Hactenus Genebrardus. O cæcitatem hominum incredibilem, ô palpabiles tenebras! Nimirum relicta Eccleſia, tanquam dato vno abſurdo, vt Ariſtoteles loquitur, tam varia conſequuntur, vt veriſsimus hoc loco ſit vulgatus ille verſiculus:

Vnica virtuti ſtat via, multa malis.

DE Puritanis, quos obiter auctor perſtrinxit, ita ſcribitur, in argumento operis, cui titulus eſt; Concertatio Eccleſiæ Catholicæ in Anglia, pagina 13. Inter varias hæreticorum ſectas, quæ hoc tempore Angliam *Puritani qui.*

occupant, duæ ſunt præcipuæ. Prior eſt Caluinopapiſtarum, ſic à nonnullis dictorum, quòd aliquam habeant cum Catholicis in rebus diuinis ſimilitudinem: nam & Archiepiſcopos ſuos habent & Epiſcopos, itemq; Decanos, Archidiaconos, cæterosq; gradus Eccleſiaſticos, vnà cũ redditibus, à piis maioribus aſsignatis: ſuaq; officia diuina qualiacunq;, ſtatis horis quotidie cantillãt, itaq; ab aliis appellantur nõ immeritò Caluiniſtę molles, ſi religionem ſpectemus, quamuis ſi mores attendamus, ipſis Turcis crudelitate haud inferiores eſſe videantur. Altera ſecta Puritanorum eſt, quaſi Caluiniſtarum purorum, qui nihil volũt cum Catholicis habere cõmune, itaq; nomina omnia & officia perſonarum Eccleſiaſticarũ vnà cum cærimoniis reiiciũt. Hæ ſectę vt maximè ſunt in Anglia potẽtes, ita ſanè vehementer ſæuiunt in Catholicos: & quãuis inter ſe capitali odio diſſideant, libriſq; euulgatis ſe mutuò dilacerẽt, in eo tamen cõſpirant, inſtar Herodis & Pilati, vt Catholicam Eccleſiam acerrimè impugnent, eiusq; propugnatores grauiſsimis tormẽtis diſcrucient. Sed hæc cõmunis eſt omnium hæreticorũ aſtutia. Nunquam enim, vt grauiſsimè ſimul & facũdiſsimè loquitur

Omnes hæretici in Eccleſiam Catholicã conſpirant, cur?

quitur Osorius Syluensis Episc. lib. 1. de Religione, in Gualterum Haddonum Anglũ, nunquam fieri potuisset, vt pestilentes sectę vires colligerẽt, nisi priùs Pontificis Maximi labefacta fuisset auctoritas. Quomodo eṁ pestis diu viguisset, cùm facillimum sit eam nascentem Pontificis auctoritate resecari? Capite, inquit Sponsa, nobis vulpes paruas, quæ vastitatem inferũt vineis. Huic Sponsæ postulato quis satisfaciet, si nullus erit ea potestate præditus, qua possit hęreticorum prauitatem, antequam adolescat, extinguere? Per vulpes enim hæreticos cõstat intelligi. Itaq; Paulus in 2. ad Thessalonicenses epistola negat futurum, vt Antichristus, ante defectionem adueniat. Necesse igitur est, vt minores Antichristi, qui iam, vt Ioannes ait, illius Antichristi futuri imaginem referunt, antequam scelus impium moliri queant, non solùm ab Ecclesia, & ab illius summo Rectore deficiant, verùm etiam omnes, quos discipulos abducere conãtur, ad eandem defectionem sollicitent. Inde adeò factum est, vt omnes hæretici, qui conatus omnes ad Ecclesiæ euersionem cõparant, in hanc primùm arcẽ inuadant, hanc tormẽtis oppugnent: huic machinas admoueant, ac

illam ſubruendam cuniculos agant. Nec enim illa expugnata diffidunt, ſe liberè poſſe ſementem omnium malorum facere, & cum multorum exitio & interitu, quacunque illis libuerit impunè volitare. Vt enim antiquiores præteream, id Ioannem Huſſium impulit, vt Pōtificis Rom. dignitatem conaretur euertere. Idem cōſilium Hieronymus Pragenſis ſecutus eſt, cùm eiuſdem Pontificis auctoritatem labefactare cōtenderet. Hāc ſibi primùm rationem Lutherus excogitauit Eccleſiæ funditùs euertendæ. Hac eadem ratione fuit aditus in Britannia omnibus erroribus, qui poſtea conſecuti ſunt, inconſideratè patefactus. Fractis igitur ad hunc modum valuis, & repagulis cōuulſis, facillimum fuit hominibus profligatis atq; perditis irruere, Eccleſiamq; diſcindere & dilacerare, tantasq; opiniones, turbulentas & nefarias, & inter ſe diſſidentes inducere. Atq; hæc hactenus ita ſe habent: quod ad miraculum Caluini attinet, in eius vita quidem omiſſum, atque hîc ab auctore inſertum, eiuſmodi omninò eſt, quod refertur à Surio, p. 412. Nullum quidem vnquam (ait de Luthero) miraculum edidit, quamquam miracula omnia facilè vincit, quod

quod Monachus apoſtata, incæſto Monachæ cõcubitu toties pollutus, tot iam olim ante mille annos damnatarum hæreſum inſtaurator, tot flagitiis coopertus, homo importuniſsimus, audaciſsimus, maledicentiſsimus, qui nulli omninò parceret, omnia ſurſum deorſum miſceret, tantam ſibi apud cæcos & miſeros mortales exiſtimationem conciliare potuit, vt non alio quã Apoſtoli & tertij Eliæ loco haberetur. Conatus eſt quidem aliquando dæmonem expellere, ſed fruſtrà. Anno enim 1545. puella quædam dæmoniaca, è Miſnia adducta eſt VVitembergam ad Lutherum, ea ſpe vt dæmonem eiiceret. Ille igitur, vtpote malè ſibi conſcius, principiò valdè ſe difficilem præbuit, tandem iuſsit puellam in ſacrarium parochianæ Eccleſiæ introduci. Ibi ſuis quibuſdam Luthericis exorciſmis adiurat dæmonem, ſed dæmon eius exorciſmos irridet. Tum verò Lutherus, mirè angi, diſcruciari, & è ſacrarij oſtio ſe velle propripere. At dæmon ita obſtruxerat oſtiũ, vt neq; intùs neque foris poſſet reſerari. Ea res etiã in maiores illum anguſtias adduxit, iamq; per feneſtras erumpere conabatur, ſed conatum cancelli ferrei retardârunt. Deniq;

Miracula Lutheri & Caluini.

ſecuri ferrea per cancellos immiſſa oſtium perfringi oportuit, vt Luthero patêret exitus. Faxit Dominus Deus noſter, vt ad ſanitatem redeant, qui horum hominum, nulla vitæ ſanctimonia, nulla miraculorum efficacia ſuffultorum, infauſtum Euangelium magno totius Europæ malo complexi ſunt. Vide apud eundem auctorem miraculum Caluini horrendum, quo viuentem, demiſit in Orcum, pagina 323.

Beza etymon.

SED iſta hactenus de priori hiſtoriæ parte: deinceps ad alteram veniamus, quæ Bezam ipſum magis attingit. Ac vt inde rem valdè tumultuariam ordiamur: Bezæ etymon inprimis elegans, auctor habet, qui in ipſum librum edidit, cui titulus; Caluinianus candor, hoc eſt, de eximia pietate, fide, doctrina, & modeſtia Theodori Bezæ, Geneuenſis Theologi, qui Caluiniani dogmatis faſcino dementatus, alios etiam dementare conatur. Hanc, inquam, auctor ille nominis Bezæ notationem habet, vt ouum appelletur Hæbraicè. Sic enim ille, pagina 146. Sed & illud audiuiſti Beza, te nomen tuum præclarè tutatum

tatum esse. Beza diceris, ex indice autem quodam meo deprehendi, Hebræis idem esse quod Latinis ouum. Ouum, inquam, non ouem, neque enim tanta tua est simplicitas. Et quidem ouum Galli gallinacei tu es, vel potiùs aspidum, vt Propheta ait. Quemadmodum enim Esaias, cap. 59. inquit, qui comederit de illo morietur, & quod confotum erit, erumpet in regulum, ita ouum quod tu peperisti, hoc est tuum, parentisque tui (mali enim Corui, vt in prouerbio est, malum ouum) Caluini dogma, publicè enecat, qui de eo comederit, iisque tandem exitium afferet sempiternum. Præclarè sanè de hæretico hæreticus, vt maior illi fides fortasis habenda sit, quàm si id à Catholico profectum esse diceretur. Quem tamen etiam si aduersarium inclamaret, si suspectum esse causaretur, anagramatismum de manu cuiusdam sui Caluiniani suscipiat, neque enim, opinor, illum poterit vnquam honestè recusare. Extat enim Petri Carpentarij, hominis Caluiniani scriptum, de Caussariorum (sic enim socios appellat) in Regē Galliæ & proceres coniuratione, cuius sententia commodiùs infrà referetur.

Beza, Hebraicè ouũ, Bezæ, Germanicè, malum.

Beza anagramma,

Sub

Sub finem eius, iubet eum cui hæc scribit Carpentarius, Bezæ incendiario & furiæ (sic enim loquitur) denunciare suo nomine, vt quiescat. Ni id faciat breui, Deo permittente, futurum vt omnes Principes & Respublicæ, quæ Caluinianũ errorem profitentur, detecta causæ proditione, & Causariorum conspiratione, qui specie religionis & libertatis Christianæ, omnes status Regnorum & Rerumpublicarum exagitare, & euertere conentur, ad illos Causarios opprimendos arma arripiant, & cętera quę ibi sequuntur: In quibus etiam meminit Sebæ, 2. Reg. c. 20. hominis seditiosi, qui à Dauide Rege defecit, quem si literæ nominis & res attendantur, ait eius, de quo hæc scribit, typum fuisse. In Seba seditioso nimirũ, seditiosus Beza continetur. Hęc Surius, pag. 746. & seq. Sed de nomine satis, pergamus ad reliqua. Ac initiò de toto vitæ genere, grauissimorũ hominũ testimonia aliquot audiamus, deinde ad hominis doctrinam, impostura, & conuitia dilabemur. Auctor igitur Candoris Caluiniani in hanc sententiam nonnulla spargit, pag. 100. 101. & 102. Cùm enim ita caput orsus esset, verè affirmare possum, me libello adeò paruo, qualis hic

Caluinista quid machinentur.

Beza, Seba.

Partitio sequentium.

hic tuus est, Beza, maiorum impudentiam, & paucioribus pagellis plures calumnias nunquam legisse, seque Beza omnia bona & integra fide fecisse prædicaret: sed id, subiicit alter, ex aliis cognoscere, quàm te ipso, par est. Sic autem in tabulas publicas quidam de te retulit. Est in Caluini discipulis quidam non postremus, Theodorus Beza. *Vita Bezæ.* Is quondam iuris licentiatus, Parisiis ex opulentis sacerdotiis, vltra septingentos coronatos aureos percipiens, vitam viuebat *Adolescentia.* turpissimam, & varia libidinum spurcitie contaminatam. Erat hæc quædam ad deteriora paraſceue, talesq; mores nihil merebãtur aliud, quàm vt homo impurus, prorsus à Deo reiectus, in inexplicabilis perfidię & hæreseos Labyrinthos detruderetur, ꝙ & factum est. Nam ad Caluinum defecit, *Defectio à religione.* venditis priùs Simoniaco sacrilegio, sacerdotiis vel beneficiis Ecclesiasticis. Sed quẽadmodum in Caluino, aliisque hæresium Architectis, multa fraus & dolus, miraque inconstantia fuit, ita & in hoc Beza, quemadmodum, vel vnum hoc præclarũ facinus, quod subiicimus, declarabit. Anno enim *Impostura mirifica.* 1556. venit ille ad electorem Palatinũ Ottonem Henricum, qui erat Lutheri placitis addictis-

addictiſsimus, cum Farello homine peſtilente, qui Geneuam infecerat, & Caluinum Seruetum, Viretum, aliosque id genus habuit diſcipulos, atque ob metum ſeditionis à Baſilienſibus proſcriptus, & in exilium abire iuſſus fuit. Obtulit autem is Beza illi Principi, arte veteratoria, & multa cum ſimulatione confeſsionem quandam, atque illi non modò Allobroges, ſed etiam Heluetios ſubſcribere. Fecit hoc ille bonus vir, vt Principis beneuolentiam ſibi conciliaret, qua tum opus habebat, maximè quod Rex Francorum ſeuerè in Caluiniſtas animaduerteret, quem eo nomine, accuſabat tyrannidis, orans, vt Regem à propoſito precibus & minis deduceret. Porrò hæc confeſsio ad verbum habebat; Verum & reale ac ſubſtantiale corpus, & ſanguinem Chriſti, ſub ſpecie rerum viſibilium, repreſentari & exhiberi. Dixiſſes Caluiniſtas & Cinglianos prorſus mutatos in Lutheranos: Sed quid non fingit deplorata nequitia? Princeps quidem, & qui aderant, ea confeſsione lætabantur, & quòd putarent conuerſos eſſe Sacramentarios, communis gratulationis ergô, miſerunt eam Duci V Virtembergico. Is quoque tam inſpera-

speratam Metamorphosin miratur & laudat. Spargitur mox rumor in Germania, agiturq; triumphus de Cinglianis ante victoriam. At Tigurini, vbi de re tota certiores fiunt, tanta hominis impostura acriter dolent, & eam confessionem magna contentione oppugnant, Bezamq; falsi reum peragunt. Quid verò interim Beza? Num se deserit? Minimè. Audi artem tali artifice dignam. Vult persuadere Tigurinis, dolũ aliquãdo bonũ esse, & aliud agere atq; simulare. Hactenus ille. Quibus ille Gabrielis Prateoli Marcolsij locus adiungi potest, quem idẽ scriptor, pag. 137. ita refert. Quid de exilio tuo prædicas? vide ne in eo van⁹ admodũ sis. Causã certè tui ex Gallia discessus ego nescio: hoc verò scio, eos qui te fortè meliùs me nouerunt, alias quàm tu exilij rationes adferre, id ne me odio aliquo scribere putes, ipsorum verba recensebo. Hic (Beza) cùm ob flagitia & mores illicitos, & supplicio dignos concubitus, adeoque adulteria, & infandas libidines: suis item Satanicis epigrammatis, Martialis & Catulli spurcitiis superantibus, in prostibulo decantatis, magis suppliciorum metu, quàm religionis amore aufugisset ex Gallia

Beza fraus & falsitas.

Ex Prateolo de Beza.

Impuritates Bezæ.

Gallia: Lauſanna item pulſus, ſe CHRISTI Martyrem iactitabat. Et rurſus: Recordare inſuper creditoribus, quos per fugam repentinam debitis tuis fraudâras, cùm tibi gratularentur frequentiùs, quàm cuperes, reditum in Galliam, te reſpondiſſe, vt tantiſper in te haberent patientiam, & omnia redditurum, cùm recepiſſes aduocationũ tuarum, per quas hæreticæ cauſæ patrocinabaris in Gallia, ſalarium honorarium, ne videreris non conductus fuiſſe. Inficiari non potes, quin id reſponſi, aut aliud ſimile dederis mercatori de Longemelio oppidulo, cum quo, quàm bona fide egeris, dignum eſt vt ſciatur, in argumentum reformatæ conuerſionis tuæ ad Caluiniſmum. Prioratũ nõ procul ab illo oppidulo, nullo iure obtinebas, ſed nondum liquebat. Abiturus mercatori locâſti ea conditione, vt per anticipationem aliquot annorum reditus in numerato daret, quo te indigere plurimùm ſimulabas. Eodem tempore alteri eundem Prioratum vendidiſti præſenti pecunia, quo excidit per Senatuſconſultum, quia eo potiebaris iniuſtè. Ita duos circumueniſti, & eadẽ opera deprædatus es. Conſtat mercatorem tibi admodum fuiſſe importu-

Sacrilegia Simonia.

Beza bona fides.

portunũ, cùm te reuerſum in Galliam quotidie appellaret de debito, & de dolo, & interea ſurdo narraret fabulam. Et iterum. In bellicis Francię tumultibus Portianum oppidum pertranſibas, cùm venienti tuo exercitui de Germania exires obuiam, & ibidem aliquot dies ſubſtitiſti ad inſigne hominis ſylueſtris, concionesque habuiſti de toto presbyterio per Campaniam iugulando. Diſcedebas inde inſalutato hoſpite, vt militarẽ Apoſtolũ decet: cùm mulier cauponaria, publica via poſt te cucurrit, clamitans latinè, vt tuo honori parceret, & ſatellites tuos lateret; Redde quod debes, Domine: nec niſi magna importunitate, permagnis impenſis pauxillum nummorum à te potuit corradere. Adhuc illa viuit, & tui meminit parum honorificè. Annón tacuiſſe, quàm commemorâſſe exilium tuum ſatius fuerit? Hæc ex Prateolo ille Bezæ candidus. Cui non abſimilis eſt Heshuſius, in libro, cui titulus eſt; Veræ & ſanæ confeſsionis, &c. Caluinus ſexcentos Martyres allegat, Beza ſuo præconio venditat orbi opera ſuæ ſupererogationis, & per totam Galliam celebratæ ſanctitatis. Quis putâſſet hominem tam perfrictæ frontis,

Tribunicia Bezæ concones.

Lepida hiſtoria.

Heshuſius de Bezæ nequitia.

tamque deploratæ impudentiæ exiſtere in rerum natura, vt qui ante paucos annos ſpurciſsimis ſuis moribus, dedecori fuit ipſis diſciplinis honeſtis, quique ſuos nefandos amores, illicitos concubitus, ſcortationes, fœda adulteria, ſacrilego carmine decantauit orbi: non contentus eo, quòd ipſe more porci, in cœno flagitioſarum libidinum ſeſe volutaret, niſi etiam aures ſtudioſæ iuuentutis ſua illuuie contaminaret. Qua inaudita petulantia, quid aliud voluit iſta quauis ibi magis polluta Beſtia, quàm vt ſcelerum ſuorum celebratione, ſacro ſtudioſorum cætui, omnibus liberalibus artibus, magiſtratui ciuili, legibus honeſtis, humano pudori, ipſi morum honeſtati, Eccleſiæ Dei, immò ipſi Deo eiusque ſeueriſsimæ iræ & iudicio petulanter inſultaret? Et non ſolùm Epicurum, Democritum, Ariſtippum, Cyclopas, & Læſtrigonas, ſed ſpurciſsimos Diabolorum Spiritus malitia vinceret? Hunc ipſum toti Galliæ, & hominibus literatis notum, recenti admodum memoria ſcelerum, noua perſona adſumpta, audere in conſpectum hominum prodire, atque in Eccleſia Dei ſe pro ſanctiſsimo Martyre venditare? Quis non

Beza ſeſe Martyrem eſſe iactat.

non admiretur hoc impudens, & incredibile monſtrum? Toti, inquam, regno Galliæ, & viris doctis, in quorum manus venerunt ſpurciſsima, & pluſquam Cynica epigrammata Bezæ, nota eſt huius turpiſsima & flagitioſa vita, & tamen quaſi ſecundus Iobus, vel aliquis ex ſeueris Eremitis, quouis Paulo vel Ioanne ſanctior ebuccinat ſua exilia propter pietatem, ſuos labores, & vitæ ſtupendam ſanctitatem. Eat nunc Heshuſius, & tam puræ & immaculatæ vitæ Beſtiæ, Bezæ, inquam, obiiciat Epicureiſmum. Ita enim ſui, dum eius pietatem prædicant orbi, nihil agunt, niſi quod priora flagitia, impudentiæ cumulo augent. His ea coniugenda ſunt quæ funeſtiſsimè excitauit in Galliis ſeditioſus Aureliæ concionator, vt eum quidam appellauit, quæ ex epiſtola cuiuſdam pij doctiq; viri ſubduximus, vtq; rem paulò altiùs repetamus. Quo tempore Caluiniani, quos Maria Angliæ Regina exulatũ ire compulerat, recepti ſunt ab Henrico Rege in Gallias, perniciosiſsimo conſilio, viuendi, vt priùs conſuêſſent, facta poteſtate: non deerant, qui aſsiduè admonerent, inteſtinum

Beza res tragica in Gallia.

Geneua, sentina omnium malorum.

hæreſeos malum indies creſcere: periculum eſſe, ne confluentibus in Galliam, è Geneua, ſentinâ hominum perditorum, miniſtris Satanæ, inſtar cancri vicina quæque ſemper abſumens, tandem vniuerſum regnum inficeret. Rex igitur, pace cum Hiſpano facta, cùm in eam cogitationem totus incumberet, vt hæreſes è regno extirparet, contraria haſta cum Lorgio concurrens, vulneratus, non ita multò pòſt interiit. Succeſsit in regnum Franciſcus II. Is initiò ſui regni omnes eos capite damnauit, qui Religionis ergô, nefaria conuenticula facere aduerſum vetera iura & leges præſumpſerant. Menſe Martio, 1560. plurimi è coniuratis, quos ſua improbitas in Regem armauerat, iugulati ſunt, alij Ambaſiæ, cùm Rex eò veniſſet, capti atque in Ligerim acti. Quo loco illud adſcribendum quod 4. Chronologiæ è Surio Genebrardus annotauit: Geneuæ (ait) nefandiſsimum conſilium, de Franciſco II. Rege Franciæ, Regina vxore, Regina matre, eius liberis, proceribus, & bonis magiſtratibus ad certum diem, per inſidias trucidandis, Beza principe, Caluino auctore, Ottomano ſubſignatore, Spifamio

Mors Henrici Regis.

Franciſcus II.

Ambaſianus tumultus.

Geneuenſium nefandum conſilium.

mio ſuaſore, omnibus Galliæ prædonibus & laniſtis conſciis. Cùm ergo, Dei voluntate non ſucceſsiſſet, capti ſunt, vt dictum eſt, & in Ligerim acti. Ludouicus Borbonius Condæus, ſeditioſorum princeps & caput, cùm ibidem, Religionis ergô, comitia haberentur, in vincula coniicitur. Sed Rex nonis Decembris, è dolore auris repentinò moritur, non ſine ſuſpicione veneni. Solutis regni comitiis, cùm nihil aliud verbo profiterentur rebelles, quàm conceptam animo hæreſim velle defendere, fraudulenter imminebant regno. Colloquium proinde Theologorum Nauarri Regis opera Poſsiacum indicitur: Pontifices adeſſe iuſsi. Ibi Theodorus Beza auctor atque incentor omnium malorum, cum Miniſtris vndecim Geneua euocatus, præſente Regina matre, cũ Sorbonicis Doctoribus, quos illa inuitos & repugnãtes intra quatriduũ adeſſe iuſſerat, magna animi iactantia congreditur. Diſputatum verò eſt Pontificij Legati Hippolyti Eſtenſis, Caroli Lotharingi, & Franciſci Turnonij opera, de Euchariſtia aliisq; rebus controuerſis adeò doctè, vt diſputationis

Rex moritur.

Concilium ſeu colloquium Poſsiacum.

Beza incentor malorũ.

haud fruſtrà pœnituerit hæreticos. Nam ibi Beza, vt eſt in cõgreſsione Gallica duorum Doctorum Sorbonicorum, totidemq; Caluini miniſtrorum, pag. 34. cùm perſpiceret ſibi malè cedere, ſuisq; negotium de Euchariſtia, coram Regina & Proceribus regni, interceſsit, vt ea res indefinita relinqueretur, & veniretur ad alia, quæ magis facere aduerſus Catholicos exiſtimaret, cuiuſmodi ſunt imagines, &c. Vt autem pergamus, ſoluto concilio, hæretici conciones in ciuitate habere cœperunt ex edicto regio, quod appellant Ianuarij, factionibusq; Michaëlis Hoſpitalij Aruerni Cancellarij, qui vnus ſcribendo, & malè ſcribendo plus detrimenti Gallis attulit, quàm qui armati poſtea exſtitêre. Haud multò pòſt hæretici ciuitates occupant, Aurelia per proditionem capta, Lugdunum proditur, Tholoſa tumultuans, per Monlucium ſeruata, Turones, Bituriges, Xantones, magna Aquitaniæ pars, Neuſtria ferè tota intercepta, redacta in poteſtatem munitiſsima vrbe Rotomago, in cuius obſidione poſtea, cùm ab exercitu regio, Imperatore Guiſio reciperetur, Antonius Borbonius Rex Nauarræ,

Beza detre ctat cõgreſſum de Euchariſtia.

Edictum Ianuarij, M. Hoſpitalij.

Vrbes ab hæreticis occupatæ.

narræ, cadit. Erumpit hæreticorum exercitus, hominum ſupra 30. millia, indeq; primum cum ipſis prælium ad Druydes atrox, in quo cùm initiò perdita omnia viderentur, Franciſcus Lotharingus Dux Guiſius inclinatã aciẽ diuina ope propriaq; quadam fortunæ felicitate reſtituit. Paucis pòſt interiectis diebus, cũ Aureliã vrbem, in quam Collignij fratres, & Largius cũ ſuis ſeſe receperant, Guiſius obſideret, caſtriq; egreſſus, foſſas ad alterum ciuitatis latus perduceret, à Io. Poltronio, quem Admiralius & Beza ſubornârant, venenata glande proditoriè percutitur: & poſt aliquot dies ſanctiſsimè expirat. Eius morte Gallia mortiferum vulnus accepit. Etenim non ineleganter à quodam dictum eſt,

Prælium ad Druydes.

Dux Guiſij opera Beza proditorie interfectus.

L'oeil, helas! l'oreille, & l'espaule,
Ont cauſé meints maux à la Gaule. hoc eſt;
Oculus, eheu! auris & humerus,
Attulerunt multa mala Galliæ.

QVOD de morte Regum Henrici & Franciſci II. itemque Ducis Guiſij debet accipi. Itaque in eius funus cygneam planè Edmundi Campiani Societatis IESV Theologi

E. Campianus Martyr in Anglia.

logi (qui dudum CHRISTI Martyr inclytus est in Anglia) cantionem audiamus. Sic enim in ratione octaua insurgit aduersus Caluinianos. Hoc quoque tritum est in hac fece (inquit) omnia peccata esse paria. Itaque hac trutina, non leuiùs in Deum seueriſsimè iudicantem deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceum, quando non est opus, occiderit, quàm infamis ille sicarius, qui plenus Beza, Gallum Heroa Guisium, admirabili virtute principem, disploſa fistula clanculùm interemit, quo facinore, nihil vidit orbis noſter, ætate noſtra, funeſtius, nihil luctuoſius. Itaque meritò nos iam olim cecinimus.

Inuictus vitiis, inuictus Guisius armis,
Heu! Bezæ infanda proditione cadit!

PRODITOR, & si Princeps ei peperce-rat, iussu Regis, quadrigis religatus in diuersa tractus est. Per idem tempus Ioannes Caluinus Geneuensis Hæresiarcha, pedi-culari morbo correptus, digno vitæ exitu interiit. Qua de re sic Genebrardus in Chronologia. An. 1564. Caluinus 14. Cal. Iunij, tam variis morbis extinctus est, vt

Caluini mors & morbi.

niſi

niſi à Beza ſcriptum eſſet, vix crederetur. Per 4. ferè annos diſcruciatus nouem horrendis morbis. Colica, Calculo, morbo articulari, Hæmorroidibus, febri phthyſica, Aſthmate, Hemicranio, Catharro continuo, vomitu denique ſanguinis. An mentiar, Beza, eſto tu iudex. Nam ad verbum iſta è tuo Gallico opuſculo exſcripſi. An Herodes terribiliùs animam Satanæ reddiderit, equidem neſcio. Tanquam ſorex, Beza, tuo iudicio periiſti. Cur iſta de tuo præceptore non occultabas? Cur famæ tui doctorculi ſic malè conſulebas. Hæc ille. Et tamen is, Caluinus inquam, cùm liberos in patrem, vxorum petulantiam in coniuges, fratrem in fratres, nurus in ſocrum, humanum genus armâſſet in Deum, & tenebras pluſquam Cimmerias mortalium mentibus offudiſſet, Galliæ ſolem ſe nominabat. Secutæ Hugonotorum inſidiæ Regi factæ, 3. Cal. Octob. 1567. cùm eſſet Meldis 10. ab vrbe Lutetia lapide, quò ſeſe Heluetiorum copiis præſenti periculo ereptus, diuina ope recepit. Mox Hugonoti ea ſpe fruſtrati, Lutetiam obſident, ac cum Regio exercitu, ad Phanum S. Dionyſij, 3. Idus Nouemb. prælium ineunt, in quo Conneſtabu-

Beza præceptorẽ prodit.

Caluinus ſol Galliæ, ſcilicet.

Inſidiæ Regi Meldis factæ.

Prælium Dionyſiacum.

lis Momorantius cecidit. Quod verò templum S. Dionysij, & busta Regũ ferè omnia intacta reliquêre, causam aiũt, quia ibi Lud. Borbonium Condæam in Regem coronârunt, monetamq; auri tali inscriptione cuderunt. LVD. XIII. DEI GRATIA. FRANCORVM REX. PRIMVS CHRISTIANVS. O impudentiam prædicandam! Malè certè cũ Clodoueo, qui primus omniũ fuit Christianus, malè cum Carolo Magno, & Lodoico, qui in canonẽ Sanctorum sunt relati, malè cum tot aliis piissimis Regibus, qui Christianissimorum nomen obtinuerunt, ageretur! Ruinæ porrò & crudelitates, quas hæretici in Catholicos exercuêre, vix à posteris credẽtur. Et quarum pars magna fui, inquit ille: Cùm enim anno sequenti irruptionem fecissent in Lotharingiam, etsi Princeps esset pacificus, eã penitùs expilârunt, exhauserũt, deuastârunt. Vrbs Commercium, quę mihi natalis, cõspurcata, prophanata, profligata tãtum non expilata. Vt ad generales ruinas redeam. Altaria vbiq; destructa, imagines comminutæ, templa multis locis incensa, multis diruta, quid dico multis? sanè numero incredibili, nimirum ad decem millia, & suprà. Quæ residua fuêre, ad vsum equorum com-

Condæus in Regem per Caluinistas coronatus.

Furores Caluiniani.

commutata, aut in ſpeluncas latronum cõuerſa. Aureliæ, auguſtæ Crucis templũ, mirabili opere & celatura, Lugduni fanum Iuſti, actis cuniculis, & incẽſo puluere corruerunt. Sanctorum oſſa aut cõcremata, aut in profluentẽ deiecta. Sic D. Martini, apud Turones, Irenæi Iuſti, & Bonauẽturę, apud Lugdunenſes, Hilarij apud Pictauos, apud Engolimenſes, Diuorum omnium, qui ibi ſepulti erant, corpora amiſimus. Monaſteria ſupra ſexcenta, minimùm, ſolo æquata, quã calamitatem pertulit magna Carthuſia Allobrogũ, tertio lapide à Gratianopoli. Vaſa aurea atq; argentea, quę maiorũ pietas reliquerat templis, partim ab hęreticis, per ſacrilegium rapta, & in pecunias verſa, partim à Præfectis prouinciarũ in vſum belli capta. Euchariſtia porcis obiecta, pedibus ꝓtrita, oleo ſacro cocta, quodq́; horrendum magis eſt dicere, tergendis natibus adhibita, cùm eam vocitarẽt, irriſorio apud Gallos nomine, Ioannem Album, ſtultum appellantes CHRISTVM, ꝙ ſub figura panis corpus ſuũ ſacroſanctũ occuluiſſet. Precioſa veſtis, aulæa omnis generis & gemmata ſacrorũ ornamenta amiſſa. Ex vaſis ęneis & campanis, tormenta conflata, Bibliothecæ, quæ in noſtra

Sacrilegia.

Horrenda.

Vaſtitas, crudelitas, inhumanitas.

ſtra Gallia inſtructiſsimæ atque antiquiſsimæ fuêre, paſsim arſerunt. Buſta principum & nobilium magna crudelitate effoſſa. In his Ludouici XI. ſeditioſorum olim ſeueriſsimi vindicis, cuius ſtatuam in fano Cleriacenſi Aureliæ capite multârunt. Quin Franciſci II. cor in templo S. Crucis Aurelię ab iis igni concrematum. Multę vrbes ferro igniq́ue vaſtatæ, multæ, multa auri pondo ſeditioſis extrema minitãtibus tradere coactæ, aliæ diuturno militum præſidio vexatæ, mœnibus nudatæ, pecunia multatæ, vectigalibus oppreſſæ, ciues in exilium acti, aut in oculis vxorum & liberorum trucidati, agri hoſtiliter vaſtati, coloni per ludibrium interempti, Francorum opes aliò tranſlatæ. Hic fructus Bezani Euangelij, ſeu veriùs cacangelij. Veteres crudelitates Bezani partim renouârunt, partim nouas exercuerũt. Ad Petram Fortem cohors præſidiaria, quæ accepto iureiurando in deditionem venerat è ſublimi loco, integra prę-ceps dato, quod genus ſupplicij Tyberio voluptati fuiſſe legitur. Moruaſij, quod oppidum eſt ad litus Rhodani, cùm ſeſe dediſſent, è veſtigio, contra morem militarem, ducenti crudeliſsimè cæſi, reliqui è faſtigio

Bezanorũ crudelitas.

stigio rupis acti præcipites. In prouincia Lugdunensi Monbrisо, deiecto muro capta, cæsis mille ducentis. Adresius, bestia Nerone crudelior, duodecim nobilissimos viros, cum quibus pransus erat, ex altissima turri in subiectum montem deiecit. In his & Monsalarium belli socium. Eandem crudelitatem exercuerat ad fanum S. Marcellini in Delphinatu. Septimo ab Aurelia lapide, in pago Patta, 25. pueri in templo cremati, atque duo qui euaserant, à carnificibus Bezanis in flammam reiecti. Ad fanum Macarij in Vasconia Catholici viui aggesta humo obruti, pueri medij ferro secati. Sacerdotum viscera fuste intorta, sensim exacta. Cænomānis cùm res diuina ageretur, multi Sacerdotes occisi, vnus suspēsus. Monacho penem amputârunt, coctumque deuorare coëgerunt, tandemque vt quò deuenisset, viderent miserum, medium secârunt. Quis credat hæc, qui ea non viderit? & tamen ita verè acciderunt. Constat suprà 5000. Sacerdotes Dei omnis generis lentis & crudelibus suppliciis esse peremptos: quibusdam eorum pellem detractam, qui octauo aut nono demùm die, quasi ad insaniam redacti, spiritum exhalabant. Multis

Adresij immanitas.

Barbaries plus quàm Turcica.

Sacerdotes suprà 5000. occisi & trucidati.

tis caput amputatum, alij militari ſupplicio minoribus tormentis expoſiti, aut ęnearum machinarum ori alligati, emiſſo igne in fruſta diſtracti, plurimi vnco, ſummo gutturi affixo, dolore & inedia confecti, non pauci in templorum crucibus ſuſpenſi. Plurimi etiam ſulphureo puluere inſtructi, lardoque peruncti, miſſo igne arſerunt. Alij cãdentibus verubus viui, per poſteriores partes infixi, alij clauis ferreis, in abraſam capitis partem adactis, exſtincti: nonnulli exenterati, quorum viſcera frumẽto reſperſa, in ralimẽtum porcorũ ceſſerunt. Ad caſtrum Longumellum, vbi Beza Prior aliquãdo fuit, Sacerdos vir ſanctiſsimus ab illis capitur: qui cùm fratris pecunia ducẽtis aureis ſeſe redemiſſet, tale ſupplicium pertulit. Penem fune ſtricto alligârunt ad tertium vſq; lapidem, incitatis equis, fratre eiulante & ſequente, traxerunt: ad focum ſuſpenderunt vt ſubiecto fumo extingueretur. Denique inſtar porci linea recta in partes dilaniârunt. Multi ſuperſunt adhuc mutili, diſſectis naribus, amputatis auribus, pedibus ſciſsis aut aduſtis, vnguibus extractis, cæcati, vulnerati, ſenſibus ſpoliati qui harum crudelitatum præ ſe ferunt veſtigia. Sacræ Virgines innume-

Horrenda crudelitas.

Mirum ſupplicium.

numeræ violatæ; Mulieribus grauidis vterus ferro cæsus, infantes ad saxa acti, antè mortem accepêre quàm vitam. Longum esset recensere quot oppida, quot prouinciæ penè funditùs sint euersæ. Tres exercitus interdum 4. tota hyeme Gallia aluit: nec est qui eloqui possit Germanorum latrocinia, Gallorum perduellium sacrilegia, Anglorum fallacias, Flandrorum direptiones: In summa Gallia videri queat scopus, contra quem nequissimi homines, instigante Beza, omnia nequitiæ suæ tela direxerunt. O portentosum Bezæ Euangelium. *Galliarum miseria.*

Mox secuta est Larnacensis pugna, in qua Condæus cum exercitu cæsus, coronam accepit, quam ipsi Beza toties fuerat pollicitus. Dux Bipontinus temulentus obiit, nihilominusque Admiralius, verum rebellionis caput, exercitum restituit. Pictauium obsessum, à generosissimo Duce Henrico Guisio, proditoriè Francisci occisi filio, strenuè defenditur, quæ quidem vrbs liberata summæ victoriæ occasionem propè Moncontourium dedit. Tertia enim Octobris dies, 1569. Gallias de suorum scelere & perfidia edocuit, eademq; legitimo magistratui ereptum, penè gladium restituit, & impie- *Larnacensis pugna. Condæus cæsus.* *Pictauij obsidio.*

Pugna ad Mocentonuium.

impietati ſuas pœnas dedit. Admiralij opera acies diligentiſsimè erat inſtructa, qui tamen ex veteri ſua arte ſibi cauit poſt principia. Ad extremum, dum vtrinque in ſe ipſos ſæuiunt Germani, ducibus vtrobique Comitibus Manſsfeldiis, religione & armis iam contrariis, & rebellium equitatus Gallicus, lanceis inſtructus, ſocios pugnantes deſereret, ipſi quoque Germani equites fugam arripiunt, præcurrente illis gnauiter Admiralio. Ingens ibi ſtrages omninò rebellium & ſociorum, & Bipontini ita ad vnum omnes cæſi, vt non ſuperfuiſſe putetur, qui ad ſuos nuncium referat. Hæc victoria Regi regnum, & ſuam Eccleſiæ tranquillitatem reſtituit. Anno 1570. tertium pacificationis edictum in Francia: Anno verò 1572. cùm diu fuiſſet in aula Admiralius, Regis Nauarræ nuptiæ, menſe Auguſto, quas excepit ob quandam in Catholicos Principes coniurationem Dies Bartholomeanus, ſiue Pariſienſes matutinæ, in quibus iuſto Dei iudicio ſupplicium de Admiralio, & reliquis perduellium capitibus ſumptum, abfuêre Beza ſuis mœnibus tectus, & Comes Montgomerius, qui tamen 1574. captus, menſe Iunio Lutetiæ ſecuri percutitur. Hactenus

Admiralius fugax.

Pariſienſes Matutinæ.

Montgomerij mors.

ctenus à me hæc ita commemorata ſunt, vt quot quanta mala piſtolicum Bezæ, ſeu, vt quidam alius, priapicum Euãgelium Franciæ regno, vicinisq; prouinciis attulerit, eſſet vnicuiq; peruium. O miſerum te Beza, ſi intelligis (iis enim propè te verbis, quibus olim Cicero M. Antonium lubet affari) miſeriorem ſi non intelligis, hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi, huius rei ne poſteritatem quidem omnium ſeculorum vnquã immemorem fore: Religionem auitam ex regno Chriſtianiſsimo profligatã, Franciſcum Guiſium, qui Galliarũ decus ac lumen fuit, proditoriè, te inſtigante, cæſum: Regem tuis inſidiis ſæpe appetitum, omnes Cõſulares, Prætores, Magiſtratus, Nobiles, omnem ſobolem iuuentutis, vnoque verbo Francicam Rempub. afflictã, atq; exterminatã. Vt enim in ſeminibus cauſa eſt arborum & ſtirpium, ſic Francicæ calamitatis ſemen tu fuiſti. Dolent Caluinianæ perſuaſionis homines 3. vel 4. ſuorum exercitus, totq; duces interfectos? eos Beza interfecit. Deſideramus illuſtriſsimos Principes, totq; fortiſsimos homines? eos quoq; nobis Beza eripuit. Auctoritas Eccleſię, & Regię maieſtatis, afflicta eſt? eam Beza ſeditioſus, cõ-

Piſtolicum Bezæ Euãgelium.

In Bezam.

Beza peſtis Galliæ.

cionator afflixit. Omnia deniq;, quæ tot annos vidimus, quid autem mali nõ vidimus? ſi rectè ratiocinabimur, vni Bezę accepta referemus. Vt Helena Troianis, ſic iſte Gallię cauſæ tumultuum, cauſa peſtis, atque exitij fuit. Quæ vt negare minimè poterit, ſunt enim in recẽti omnium memoria, ita Principibus paratas inſidias malitiosè ſibi & ſuis imponi, ſuo more, fortaſſe dixerit. Sunt enim omnes in Caluiniana ſchola ita informati, ita inſtituti, vt quidam, cuius ſcriptum exſtat, eruditè & grauiter annotauit, vt quæcunque meditantur, quæcunque agunt, quò priùs facta, quàm cœpta eſſe audiantur, ſi negare nequeant, ea ipſa in aduerſarios exonerent, eorumque innocentiæ & integritati, ſuas fraudes, ſuas machinationes, ſua veneficia, ſuas cædes imputent. Pauca igitur ex Carpentario Caluiniano huc annotemus, ne ſibi falsò Beza putet affingi, ſe Regi Franciæ, adeoq; Principibus necem eſſe ſæpe machinatum. Exſtat ergo quoddam Carpentarij illius ſcriptum, in quo palàm aſſerit, eò ſpectare, eò tendere omnes Cauſariorum conatus (ſic enim ille Caluinianos quoſdam appellat) vt Reginam matrẽ cum catulis eius tollant.

Artes Caluinica.

In Regẽ & Principes Galliæ Bezæ coniuratio.

Eius

Eius rei exitum polliceri eos sibi, auctoritate vatis illius impurissimi (ita homo Caluinianus Bezam, Caluinianorum Pontificem & Regem, vt ipse loquitur, appellare non dubitat) eius orationem, vti oraculum, eius scripta, vti libros Sibyllinos, excæcatos homines (vtique Caluinianos) recipere: eum segnitiem & languorem Causariorum semper incusâsse, quòd quietè & pacificè viuendo, hostilem animum erga Papistas, & erga Regem deponere viderentur. Ait certis indiciis se satis accepisse, eum apertè Regis caput petere, & multa alia quibus Caluinianorum furores & amentiam, & hostilem in Regem animum satis declarant. Ait itidem Carpentarius, se sæpiùs obiurgâsse Causarios aulicos (Caluinistas dicit) quòd illos non puderet homines flocci & nihili, & omnibus probris & vitiis coopertos, impensis publicis alere, & illis suas legationes & negotiationes magis serioſas & graues demandare. At illi, inquit, mihi in aurem obmurmurabant; Breui magnum, & pulcherrimum facinus conficient. Ex quo facilè colligebam causam in suo sinu, tanquam in vagina reconditos habuisse latrones & sicarios, à quibus magis Principibus,

Beza Pontifex et Rex Gallia.

Causariorū scopus.

quàm priuatis, timendum esset. Deniq; illos intelligebam vndiq; colligere homines, feroces, audaces & manu promptos ad scelus perpetrãdum. Causam autem, cuius crebrò facit mẽtionem, ait idem auctor, nihil aliud fuisse, quàm quorundã Caluinianorum, qui pace vti & quietè viuere noluerunt, coitionem & factionem, ad interturbãdam tranquillitatem publicam, contra leges & edicta Principis initam. Ab hac ergo causa vocat Causarios, huic causæ addictos: quos etiam ait conuentus assiduè habuisse, in iis nullum verbum de Deo, pace & tranquillitate tractatum, de bello, de suscitando tumultu verba fuisse: publicè religionem præ se tulisse: in abdito remotis arbitris, nihil aliud quàm arma & bellum spirâsse: Bezam in his incendiarium & Furiam, ac veluti Sinonem quendam exstitisse. Perspicuè enim licet animaduerti, eum de Beza dicere, cui etiam hoc fert testimonium, eum grauiter increpare Causæ superstites, quòd Principes Galliæ, sæpè ab illo antea ad necem notatos atque designatos, non occiderint. Hæc ille Caluinianus: ex quibus coniici facilè potest, quales demùm illi & sint & fuerint, qui se reformatæ Religionis & Euangeli-

Causa Caluinistarũ, quid.

Beza Sinõ.

Beza sicarius.

gelicos iactabundi gloriantur. Atque hæc de vita Bezæ bellorum Francię inſtigatoris: ad doctrinam hominis veniamus. Quo in argumento, quid primum querar? ſanctorum maieſtatem Bibliorum videlicet, à Poëtaſtro impudiciſsimo fœdiſsimè violatam? Enimuerò peccatori dixit Deus, vt eſt in Pſalm. 49. *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis Teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti & tacui. Exiſtimâſti, iniquè, quòd ero ſimilis tui, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum: nequando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Hoc loco cùm ſe tam graphicè depictum eſſe Beza perſpiciat, cur vocem ad ſe Dei præpotentis interea diſſimulat. Origenes, vt in Origeniſtarũ hæreſi Epiphanius auctor eſt, ad hunc verſum complicato libro, è concione receſsit, ac miſerè eiulare cœpit, recordatus ſe Alexandriæ, vi perſecutionis adactum ad grana

Hæc de vita Bezæ: iam de doctrina.

Biblia violat.

Pſalm 49.

Origenis exemplu Bezæ propoſitum.

Thuris Diis gentium offerenda, adeò vt auditores omnes commiseratione tacti cum eo lachrymarentur. Beza cùm tot impuritas in se, tot flagitia & scelera, quæ hoc libello describuntur, susceperit impudens, & illotis manibus ad sacras literas accedet, eas ore impuro contaminabit, in hæresi susceptaque amentia immotus persistet, & de sua salute se certum esse prædicabit ? Sed frontem dudum perfricuit, itaque pergamus. Non enim libros quosdam solùm cum suo magistro è Bibliis repudiauit, sed nouum instrumentum etiam impia versione deprauauit, fœdissimisque & obscœnissimis annotationibus, vt infrà dicetur, nouum IESV CHRISTI Testamentum conspurcauit. Pauca de multis adferam. Etenim, vt cum Campiano, qui in ea confessione sanguinem suum fudit, illud in medium proponam, Beza verbum illud arcanum ex Lucæ, 22. cap. *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui* (calix) *pro vobis fundetur*, ausus est vt corruptum vitiatumque traducere, quòd hæc oratio nullam expositionem nisi de vino caliçis conuerso in verum CHRISTI sangui-

Impudens Bezæ temeritas.

Contra Sycophãtam.

Nouum Testamentum deprauat.

Locus beati Lucæ à Beza corruptus.

sanguinem patiatur. Textus enim habet, ποτήριον ἐνχυνόμενον. Alio loco animam CHRISTI cadauer appellat, sceleratus: Et, vt IOANNES DVRÆVS Scotus, eruditissimus Societatis IESV Theologus, assertor CAMPIANI, aduersus VVitakerum animaduertit, Euangelium Ioannis mutilat: eius verba sunt eiusmodi: Euangelij Ioannis partem (ait) quæ mulieris adulteræ historiam complectitur, ab inimicis fidei, sceleris impunitatem vxoribus suis dare metuentibus, de codicibus suis sublatam fuisse AVGVSTINVS testatur. Annón idem, VVitakere, tuus Beza præstitit? *Ad me quidem quod attinet* (inquit) *non dissimulo mihi meritò suspectum esse, quod veteres illi reiecerunt.* Vbi mira impudentia EVSEBIVM, CHRYSOSTOMVM, THEOPHYLACTVM hanc historiam ait reiecisse, quorum id nemini vel in mentem vnquam venit. Addit deinde suę censuræ argumēta sanè grauissima. *Quod narrat* (inquit) IESVM *solum fuisse reluctum cum muliere in templo, nescio quàm sit probabile.* O intolerādum impurissimi nebulonis audaciam: mala profectò mens, malus animus: quasi tantundem esset

Animam Christi cadauer appellat.

Duræus Scotus.

Bezæ Euāgelium Ioannis mutilat.

In cap. 8. Ioan.

Impia & sceleratissima Bezæ de Christo verba.

periculi, si solus in templo CHRISTVS cum muliere relinqueretur, quantum si cum sua Candida Beza: aut non eodem argumento pulcherrimam illam mulieris Samaritanæ cum CHRISTO loquentis historiam, reiicere posset. Pergit verò furcifer. IESVM *digito scripsisse in terra, nouum mihi & insolens videtur, nec possum coniicere quomodo posset satis commodè explicari; tanta denique lectionis varietas facit, vt de fide historiæ dubitem.* Quicquid ergo in Scriptura Bezę nouũ videtur, quicquid ille non satis commodè explicare potest, quicquid variè in codicibus legitur, suspectum esse atq; dubium debet. Iam ad alia transeamus, nam prętерquam quod aduersus humanam CHRISTI naturam in resuscitando Lazaro blasphemauit, quidnám illud est quod in Concilio Pisiaco in tanta Principum summorumq; Theologorũ corona euomuit potiùs quàm scripsit, tãtum abesse CHRISTVM ab Eucharistiæ Sacramento, quantum absit supremum cœlum ab infima terra? O blasphemum os & impudens: O Sacramentarium in vltimas terras deportandum! CHRISTVS enim Dominus disertis verbis testatur, se in hoc sacro epulo, verum corpus & sanguinem suum exhi-

Beza mira audacia.

Blasphemia Bezæ.

exhibere. Sed quibus tandem machinis ipsi Deo conatur mendacium affingere? His nimirum axiomatis, quæ ipsius Candidus ex eius libello in Caluiniano candore annotauit.

Beza axiomata impia.

QVICQVID non potest fieri iure physico, id etiam ne diuino quidem iure fieri potest.

CLAVSO an reuoluto lapide, Dominus resurrexerit, ex historia Euangelica colligi non potest.

CHRISTVS non ingressus est per clausas ianuas.

CHRISTVM inuiolata matris virginitate natum, neq; verbi auctoritate, neq; fidei analogia, neque alicuius Patrum probabili coniectura nititur.

NVLLVM apicem ostendi posse ex sacris literis, vnde constet, vel ante, vel post glorificationem, essentiale corpus CHRISTI, vllam Physici corporis proprietatem abiecisse.

Aduersus Bezæ axiomata.

HÆC Bezæ blasphema somnia indicâsse, refutâsse est, aliquem tamen è veteribus opponamus, ne nos armis destitutos prorsus arbitretur.

ADVERSVS primũ, August. lib. 3. de Tri-

nitate, cap. 5. Cùm ad nutum Dei aqua in vinum conuersa est inusitata celeritate, vis diuina, non lex aut ius naturæ, etiam stultis fatentibus declarata est. Fortior est enim Dei constitutio, quàm virtus aut ius naturę, Chrisost. hom. 32. in Matth.

Adversvs tria sequentia. Augustin. serm. 138. Quomodo de sepulchro exire non posset, qui ex incorruptis matris viscеribus, salua virginitate processit? Et rursus idem: Perfidi Iudæi monumenti lapidem signauerunt vt nō haberet egressum Christvs. Sed sicut mundus eum non capit, ita nec sepultura custodit. Et paulò pòst: Fefellit custodes, exiliuit de sepulchro, apparuit discipulis ianuis non apertis, inde clausus exiit, huc, excluſus intrauit. Idem ait serm. 156. & 159. & 160. vbi hæc verba sunt, refer ad omnipotentiam non ad phantasiam. Idem Enchirid. ad Laur. c. 34. Quòd si vel per nascentem, eius corrumperetur integritas, iam non ille de virgine nasceretur eumque falsò, quod absit, de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia.

Adversvs S. Augustin. de Ago. Christi, cap. 24. Omnia possibilia sunt Deo, nam & ambulare super aquas, contra naturam huius

ius corporis esse manifestum est, & tamen ipse Dominus ante passionem ambulauit, & post resurrectionem suam fecit de corpore suo quod voluit: si enim potuit ante passionem clarificare illud sicut splendorem solis, quare non potuit & post passionem, & quantã vellet subtilitatem in temporis momento redigere, vt per clausa ostia posset intrare? Chrysost.hom.42.in Ioan. IESVM, nihil à sua natura motũ mare, vt Dominũ admirabiliùs prætulit. Theophylact.in 6. c. Ioan. Hoc autẽ loco (ait) maius miraculum fit, manens enim in sua natura mare, in superficie sua ferebat Dominum, & hoc quidem aduersus Caluini impietatem, qui vt CHRISTO miraculũ detraheret, soliditatem mari attribuit. Sexcenta Patrũ loca, prudens breuitatis causa prætereo, & multa omninò sunt in tuo, Beza, Candido, ex his pauculis sic infero. Beza, vt verbum CHRISTI, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, doceret esse impossibile illa falsa axiomata quinq; vanissimè posuit. Augustinus, omnium cõfessione sanctissimus (vt de cæteris Patribus, & consensione Ecclesię taceã hoc tempore) contradicit: Vtri magis adhibenda fides? sanctóne & Theologo

Caluinus maluit maris soliditatẽ tribuere, quàm Christo miraculum in corpore.

Patribus fides adhibẽda potius, quàm Bezæ.

logo eruditiſsimo, an poëtaſtro & ſcurræ impuriſsimo & impudiciſsimo? O Bezam craſſum Theologum, ô Dialecticum miſeratione digniſsimum! Et loco Prophetarum & Apoſtolorum, Philoſophos & Poëtas impios, nominatimque Lucretium, impius ipſe & prophanus allegat. Immò verò quid mihi dicis de Platone, & de Cicerone, & de Virgilio? Inquit Aug. pſal. 103. & Hieron. ad Euſtoch. Quis conſenſus CHRISTO cum Belial? Quid facit cum Pſalterio Horatius? Cum Euangeliis Maro? Cũ Apoſtolis Cicero? Quos tamen ferè omnes in hac materia, Achillæi argumenti inſtar allegâſti. Taceo contradictoria huius Berengarij diſcipuli. *Veram præſentiam corporis & ſanguinis* CHRISTI *in cœna non inficiamur. Non eſt magis præſens quàm olim ſanctis Patribus.* Item: *Panis & Vinum ſigna ſunt & ſymbola non rerum abſentium, ſed præſentium. Non magis præſens eſt nobis carne ſua, quàm Rex Hiſpaniarum Indiæ Orientali vel Occidentali, quarum neutram, opinor, niſi fortè depictam, vidit.* Item: *Idipſum corpus Domini, quod traditum eſt pro nobis, & ſanguis fuſus pro nobis, communicatur in cœna. Caro* CHRISTI *procul abſens ſignis adhibitis ſignificatur.* O acumen Carneadeum! Et crede

Caluiniani candor, p. 123.

Beza contradictoria.

crede huic beſtiæ ſalutem animæ tuæ, Lector, Chriſti Domini precioſiſsimo ſanguine redemptæ. Sed hæc didicit à magiſtro Caluino qui vt Lutheranos & Zuinglianos infatuaret ſuum illud eſt, & non eſt, excogitauit, vt fuſius in alio quodam opere, Domino faciente, oſtendemus. Cui tamen vni poſt Deum, ne exceptis quidem Apoſtolis, veram cœnæ intelligentiam attribuit, eadem rabie, qua in extaſim raptus pro ſuggeſtu, turbulentis illis & tribunitiis ſuis cõcionibus, exclamare dicitur; Non eſt ſalus extra Geneuã/Malè certè igitur Anglis, tuis erroribus dementatis conſuletur: vt de aliis nihil dicam. Procedamus vlteriùs. Docet in expoſitione Pſalmi 73. verſu 7. Genebrardus, quàm imprudenter ſuo ſe gladio Beza iugulârit. Vox Pituhim (ait) non ſolùm ianuas, ſed ſculpturas etiam & picturas deſignat. Quod Beza ſequitur, vt ſe & ſuos ſicarios pingat, qui ſacras imagines ſolent demoliri & excindere. Eſt enim Pſalmus ille Propheticus, aduerſus Eccleſiarum vaſtatores. Fuiſſe verò picturas & cælaturas varias in Dei templo apparet, 3. Reg. 6. Vbi Cherubis omnia ſparguntur, quos alatos fuiſſe puerorum imagines docent Thalmudici.

Caluini eſt & non eſt.

Deplorata Bezæ impudentia.

Beza Iconomachus.

Imagines eſſe retinendas.

dici. Quin Cherubim obumbrantia siue tegentia propitiatoriũ tam Moysis, qũàm Salomonis, opificio erant solido & statuario. Adde Theraphim sacras quasdam imagines Osee 3. quales Dauid domi habuit, tanquã lares & penates, 1. Reg. 19. Quare præceptũ de nõ faciendo sculptili R. Iaphet, cum nostris, exponit in malam partem de idolis, vt & citat Abben Ezra in illud 3. Osee. Sic R. Leui in 20. Exod. Itaq; prima Ecclesia habuit cruces. Arnob. lib. 8. contra Gentes. Tertull. de corona mil. & veteres quiq;. Euseb. lib. 7. c. 18. Theoph. in 9. Matth. Sozom. lib. 5. c. 21. Euag. lib. 4. hist. c. 26. Imagines CHRISTI & Virginis D. Lucas pinxit, Nicephor. lib. 14. c. 2. Damasc. lib. 4. c. 8. Lampridius in Alexandro Mammeæ. Prudentius, Aug. lib. 1. de cons. Euang. c. 10. Petrum & Paulum cum CHRISTO pictos pluribus locis meminit. Xenaias siue Philoxenus Hierapoleos Episcopus Eutychianus, primus Iconomachus, à Patribus notatur, sub anno 493. Niceph. lib. 16. c. 27. & Cedrenus. Sed imperitæ multitudini facilè imponunt Cyclopes isti, de quibus Matthæus Launæus in sua declaratione Gallica conqueritur. Locum, in gratiam Lectoris, Latinè reddam,

Launæi locus, Latinè redditus.

dam, vt potero. Sed cuius demùm ſceleris (ait) Proteſtantes ipſi conuincerentur? Pingunt enim illi, fingi cælariq́ue curant, & publicè vendi patiuntur ſigna & Icones Doctorum ſuorum, ſi quos præcipuo quodam honore coluerunt, vt Martini Lutheri, Caluini, Zuinglij, Melanchonis, aliorumq́ue qui dudum mortui ſunt: atque adeò ipſius Bezæ, (& nuper Müllerì) etſi viuant adhuc & nobiſcum hîc humi repant. Miniſtri, Doctores, & earum ſectarum ſtudioſi, eiuſmodi picturas in Bibliothecis habent, iis ſimplices mulierculæ ſuos lectos cingunt, ac earum nonnullæ, ipſis plus æquo deuotæ, maioriq́ue zelo, quàm par eſſet, incenſæ, eas pietatis oculo intueri ſolent, adeò vt quædam deprehenſæ ſint, flexis genibus, coram illis orare. Sed & permulti reperti ſunt vtriuſque ſexus, Caluini idolum collo geſtare, qua deuotione erga Müllerum Auguſtanæ quoque affectæ ſunt: cùm in templis interea, vel in ædibus CHRISTI crucifixi imaginem non ferant, (præſertim Caluiniſtæ) quæ paſsionis eius myſterium, genuſq́; mortis, quam pro nobis paſſus eſt, in memoriam reuocet, vt ea ratione iuſtificemur

Hæretici ſuorum Doctorũ imagines colunt.

Caluini idolum.

Vſus & finis imaginum.

coram

coram iudicio Dei, & in vitam æternam viuificemur, cùm in eius nomine, ſaluos nos fieri oporteat, in eumq́; finem nobis à patre ſit conceſſus. Similiter ſanctiſsimæ Virginis Mariæ matris Domini noſtri IESV CHRISTI, non patiuntur imagines, quibus admonemur, eum in carne veniſſe, hominem illum factum eſſe, nobis per omnia ſimilem, excepto peccato, vt, teſtante Apoſtolo, thronum gratiæ eius confidenter adeamus, miſericordiæ obtinendæ cauſa, gratiæq́; conſequendæ, vt iuuemur in tempore opportuno: Neq; pariter ſanctorum Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, aliorumq́; Seruorum Dei præcellentium, qui tam multa paſsi ſunt, vt IESVM CHRISTVM filium Dei eſſe mundiq́; ſeruatorem teſtificarentur, qui per patientiam, aduerſus immanitatem Tyrannorum tam conſtanter dimicârunt, & importunis hæreticorum ventis, tam viriliter reſtiterunt, ad plantandam, erigendam, & confirmandam Eccleſiam, & doctrinę diuinæ, quæ in ea eſt, puritatem: ſeſeque totos, mundo, diabolo, & cõcupiſcentiis opponentes, tam piè ſanctèque vixerunt, vt eorum ſanctitas non ſolùm, dum in viuis agerent, verùm etiã poſt mor-

Imagines B. Virginis.

Imagines Sanctorum.

mortem, tot ſignis, prodigiis, & miraculis eluxerit. Reiiciunt, inquam, imagines eiuſmodi, quæ hiſtoriarum loco ſunt nobis ob oculos poſitæ, vt in iis nobis miſericordiã Dei liceat intueri, qui tantas liberalis Magnificentiæ ſuæ dotes ſuis creaturis impertiit: vt nobis exemplo ſint, vitæ piè & iuſtè traducendæ, nobisq́; perſuadeant, præſtò nobis ſemper eſſe diuinum auxiliũ in tribulationibus & anguſtiis, patentemq́ue nobis fore cœli portam, ſi modò factis totaq́; vita ratione exprimamus virtutẽ, pietatem, ſanctitatem, & conſtantiam eorum, qui nobis iis imaginibus & hiſtoriis imitandi proponuntur.

Fructus, quos ex vſu ſacrarum imaginum percipimus.

Pro ſacris autem illis imaginibus, ſuorum Doctorum idola excitant, ſi nõ in ſuis templis, at certè in ædibus, tantiſper dum illa in apertum publicumq́ue produxerint. Interea ſatis illud cognoſcitur, eiuſmodi Doctores & Miniſtros non fuiſſe Sanctos vel Angelos, ne quid dicam grauius: neque vel longiſsimo interuallo veſtigia ſecutos illorum optimorum & ſanctiſsimorum Patrum, qui primi religionem Chriſtianam atque Catholicam inſtaurârunt. Nam, vt mortuos, in ſuis ſepulchris quieſcere

Beza arrogantia, ambitio, superbia.

iubeamus, vnum Theodorum Bezam, exempli gratia, proponemus, cuius, & si viuentis adhuc, imago, per vniuersas Europæ regiones volitare cernitur. Interea plures Ministri Galli, Germani, Angli, discipuliq́ue quamplurimi, ac multi alij graues & fide digni viri, qui Geneuā adierunt, nobiscum testabuntur, neminem in Europa reperiri, ne militarem quidem, & gladiatoria firmitate virum, ipso arrogantiorem, superbiorem, & ambitiosiorem, adeò vt nemo sit omninò mortalium, adeò abiectus, adeò humilis & mansuetus, qui ipsum ferre possit, & quem tandem eius non tædeat. Quod perperam admodum quadrat, non dicam in Restauratorem seu Conformatorem Religionis Christianæ, qualem esse se ille autumat, sed ne in simplicem quidem sacerdotem Deiq́ue ministrum, & sanctæ Ecclesiæ Domini nostri IESV CHRISTI pastorem. Oportet enim populi Doctorem & Dei Ministrum, imitatorem esse IESV CHRISTI, & tanquam eius expressam quandam effigiem, seseq́ue populo ceu speculum quoddam & exemplar humilitatis exhibere, cùm humilitas sit tanquam parens, & veluti nutricula fidei. Bezam non esse eiusmo-

Humilitas decet Ecclesia pastorē.

iuſmodi, ſciunt omnes qui eum norunt, & quibus aliqua cum ipſo familiaritas interceſsit, quiúe legunt eius inuectiuas, plenas impudentiæ, vanitatis, aſſentationis, ſuperbiæ: nihilominus tamen idolum beſtiæ in precio eſt, & à ſuis ſuiſque ſimilibus circumfertur & colitur. *Beza inuectiua.*

SED quid his immoremur? quidam iſtorum Iouis, Veneris, Dianæ, Mercurij, aliorumque Diabolorum, quos olim Æthnici pro Diis coluerunt, imagines & picturas retinent: ſuas aulas, cubicula, officinas, hiſtoriis ornant, quæ cùm omni genere libidinis infames ſint, nulla in re alia, vſui ipſis eſſe poſſunt, quàm vt eos malo exemplo peruertant, adoleſcentes corrumpant, & homines vtriuſque ſexus, ad nequitiam impellant. Geneuæ etiam publicè diuenduntur, forum quod è regione Baſilicæ eſt, iis tanquam emblematis diſtinguitur, Syndici, Miniſtri, & alij ſanctæ illius ciuitatis (vt loquuntur) Rectores è conſilio redire nequeunt, quin iis oculos paſcant, cùm tamen impuritatis æternum ſint veluti monumentum, & ad omne flagitij genus ceu quoddam irritamentum. Permittunt eas, *Hæretici etiam Geneuæ prophanas imagines retinent.*

vt emant, ciuibus, domiq́ue detineant. Porrò licuit animaduertere, in iis pagis & vrbibus, quæ Proteſtantes & Hugonoti, partim vi, partim aſtu & deditionibus olim occupârunt, CHRISTI Domini, ſacratiſſimæ Virginis, ſanctorumq́ue ſeruorum Dei fractas eſſe potiùs & combuſtas imagines, quàm Idolorum, & ſtatuarum Gentilium, & omnis monumentorum impuritatis. Vnde illud quæſo, vt CHRISTI Domini imagines & Sanctorum, quæ in ædificationem nobis & exemplum propoſitæ ſunt, impenſiùs execrentur hæretici, quàm Diabolorum eorum, & Idolorum, quæ ab Æthnicis olim colerentur, quæq́ue non niſi exemplo pernicioſa eſſe poſſunt, & diabolicam omnibus inſtructionem adferre? Quid ex eo concludi poteſt aliud, niſi CHRISTI Domini ſanctitatem, eius mortem, & paſſionem, atque in genere, quidquid ab ipſo vnquam pro nobis effectum eſt, ſimiliterq́; vitam Sanctorum eximiam & piam, eorum conſtantiam, patientiam, proq́ue CHRISTI nomine perpeſſa ſupplicia, iſtis eſſe odioſa, eorum ingratam hiſtoriam, & memoriam iniucundam: Vitam verò turpiſsimam, libidines, adulteria, impuritates Iouis, Veneris,

Cur hæretici prophanas potiùs quã ſacras imagines velint.

Mer-

Mercurij,& ſimilium ipſis arridere,eſſeque longè acceptiſsima? Quæ pace eorum à me dicta ſint, qui pudoris ſunt & caſtitatis ſtudioſi, nam è ſuperioribus iſta elici poſſunt & concludi. Imagines enim libentiſsimè conſpicimus, literas legimus cupidiſsimè, eorumque gratiſsimam memoriam habemus,quorũ vita, resq; geſtæ nobis placent, quos æmulari & ad quorum imitationem vitam noſtram componere volumus.Contra verò eorum monumenta deteſtamur, quorum à vita & factis abhorremus.Itaque concludemus eos crucis hiſtoriam & imaginem exoſculari, perpeſsionumque,quas pro nobis CHRISTVS IESVS tolerauit, qui cum S. Paulo in eius cruce gloriantur, per quam mundus ipſis eſt crucifixus, & ipſi mundo: eos autem qui ab illis ſacratiſsimis rebus auerſantur,aliunde quàm à cruce honorem ſibi quærere,nec in CHRISTO Domino verè gloriari. Hæc hactenus ex Launæo. Quis autem Bezæ de Ioue, Baccho, Venere, Hortorum Deo, Pantagrueliſmo ſenſus ſit, non modò fœda & libidinoſa epigrammata arguunt, verùm etiam eius declarat ingenium. Is enim, quod in Caſtalione reprehendit in Cantico canticorum,

Catholici in cruce Dominicum S. Paulo gloriantur.

Beza miſcet ſacra profanis.

rum, res ſacras ita verſibus expreſsit, vt non tam Chriſtianum poëtam, quàm Catullum aliquem aut Propertium referat. Si exemplum requiritur, en quibus ille verſibus hominum animos, ad pœnitentiam & lachrymas præparauit, cùm Pſalmum illum, Miſerere mei Deus, doloris ac pœnitentiæ plenum carmine eſſet redditurus. Sic enim Berſabeen, quaſi Candida eſſet deſcribit.

Miratus patulæ radiantem frontis honorem,
Purpureasq; genas, pulchri & diſcrimina naſi,
Os roſeum, & flauos per eburnea colla capillos,
Marmoreumq; ſinum. Et paulò pòſt:
Illa illum ſenſit venientem, & læta recepto
Hoſpite, nil præter Veneris iam cogitat artes,
Omnibus arridet pulchræ ſibi conſcia formæ,
Nunc ſinit extrema criſpanti fronte capillos
Ludere, nunc varia diſcriminat arte vagantes,
Iam celare ſinum ſimulat, mammasq; coërcet.

CÆTERA pudor adſcribere prohibet. Sed ſit ille libidinoſus, & miſceat ſacra profanis, at eſt acutus in multis. Videlicet: nam in argumento, quod in fine ſuorum Pſalmorum præfixit Cantico B. Mariæ Virginis, dum illud attingit, quod ab ipſa dicitur;

Acumen Bezanum.

tur; *Ecce enim beatam me dicent omnes generationes.* Quid Beza? portendebat, (ait) ſuperſtitionem eorum qui illam toto orbe colerent. Acutè. Perinde enim eſt, ac ſi concluderem, ex illo ſuo de Candida & Audeberto epigrammate, fuiſſe Bezam ſemper caſtiſsimum. Quis enim non videt Spiritum ſanctum his verbis, cultum quem Chriſtiani B. Virgini deferunt, iam tum, ipſius ore, approbare, prædicere, propeque præcipere? Et tamen audet furcifer, Fanum Lauretanum, in quo Virgo religioſiſsimè colitur, cum Templo Epheſiorum, B. Virginem Dei matrem, cum idolo Dianę comparare. His, inquam, blaſphemiis acta Apoſtolica auſus eſt contaminare, futurus videlicet obſcurus, niſi, quemadmodum ille qui memoriæ ſui cauſa Templum Dianæ incendit, Lauretanum quoque fanum Beza, bipedum, vt quidam illum vocat, vaniſsimus vellicaret: immò verò, ſi poſſet vt tot alia in Galliis incenderet. Sed quia de Pſalmis paulò antè mentionem fecimus, eos autem Gallicè & Latinè, verſibus etiam reddidit, in ea re, quàm benè ſe geſſerit, expendamus. Quod è præfatione Doct. Genebrardi malo repetere, quàm

Beza blaſphemus in B. Virgine, et in templo Lauret.

Inc. 19. Act.

oratione mea perſequi, erit enim & grauior arguentis auctoritas, & multa in temeritatem falſarij corruptorisque huius verborum Dei veriſimè dicta proferentur. Sic igitur ille in eruditiſsima ſua Pſalmorum expoſitione orſus eſt. Nouiſsimum Theodori Bezæ propudium, me tua cauſa impulit, Chriſtiane Lector, ad hoc diuiniſsimum opus commentariolis illuſtrandum. Iſtum enim, vt illud tibi è manibus eriperet, inque eius locum ſuas quiſquilias ſufficeret, præfari non puduit Græcum, proindeque Latinum è Græcis repræſentatum, malè ex Hebræo fuiſſe conuerſum, deinde nunquam adhuc eo, quo decuit, fructu, publicè ac priuatim fuiſſe lectum & cantatum ab vllis Chriſtianis cætibus: Præterea non modò aberratum in eo fuiſſe à genuina auctoris ſententia, verùm etiam de eruendo aliquo commodo ſenſu fruſtrà fuiſſe à doctiſsimis deſudatum. Denique conſectandarum allegoriarum ſtudio, vt reliquos etiam veteris teſtamenti libros, ita Pſalmos miſerrimè fuiſſe contaminatos. Quoniam igitur hæc ſunt quatuor Bezanæ veſaniæ, reprehenſionisque capita, vt ea in re diſsimulem,

Grauiſsima Genebrardi de temeritate & amentia Bezæ verba.

Diuum

Diuum Auguſtinum, cæterosque diuinos interpretes impudentiſsimè ac ſceleratiſſimè vituperatos, expono ſimplicem & genuinum literæ ſenſum, quem iſte propter idiotiſmorum & diſciplinarum neceſſariarum ignorationem cõmodum erui poſſe inficiatur. Doceo noſtros interpretes 72. Hebraico fonti conuenienter vertiſſe, Hebraiſmorum autem Syriaciſmorum, Arabiſmorum, antiquæ poëſis & phraſis inſcientiam efficere, vt alicubi ineruditis nulla videatur bene accommodatæ ſententiæ explicatio, vbi eruditis eſt ſingularis atque eximia. Poſtremò eſſe ſacrilegæ temeritatis priùs damnare veterum ſapientiam, quàm intelligere. Quibus ita poſitis Genebrardus, oſtendit vndecim luculentis ſanè & elegantiſsimis rationibus, quid iſtum, atq; iſtiuſmodi nebulones, vt ad hunc modum iudicarent, fefellerit. Ac iis rationibus tandem expoſitis, ad Bezam ſuis titulis exornandum magno zelo aggreditur. Quod autem Beza (inquit) iſta minimè intelligit, & ab vtriſque etiam, id eſt, veteribus interpretibus & recentibus abeſt longiùs, ac indoctè atque præpoſterè, verſu ſimul ac proſa Pſalmos nouiſsimè expreſſerit, nõ eſt valdè

Patres Beza vituperat.

Beza ex-pers lingua Hebraicæ.

mirandum. Nam nihil scit Hebraicè, vt ipse ingenuè agnoscit, dum non fontem Hebraicum, non suam ex Hebræis, sed Henrici Molleri versionem secutum se ait. Eam autem quorsum cæteris antepoſuerit, ipse videat. Certè de eo probè censere non potest, quoniam è veritate Hebraica harum rerum iudicium pendet, non ex linguæ imperitorum opinione, censura, voluntate. Itaque quæ aliquando ea lingua balbutit, habet è dictatis quorundam esurientium Grammaticulorum, qui ita Geneuæ eam docent, vt & ipsi Doctoribus opus habeant, vel è versionibus Molleri, Campensis, & aliorum, vel ex annotationibus Pagnino & Vatablo affictis, vnde hoc ei sępe contingit, quod de istius furfuris hominibus alicubi scripsit Hieronymus, vt alienis videns oculis, cuiusque interpretis errorem saniori intelligentiæ anteponat. Quin & mirabilius est, cur Spiritus sancti expers, & Theologiæ rudis, quæ ad iudicandum de expositionum puritate requiritur, & lingua primaria exutus, quam ne ipse quidem negauerit ad suum consilium necessariam, ausus sit negotium istud suscipere, præsertim post diuinissimos illos poëtas,

Beza Spir. sancti expers, & Theologiæ rudis.

Ariam

Ariam Montanum, Matthæum Toſcanum, rebus omnibus, ad tantum opus perficiendum ornatos. Et cùm hi è Dauide Hebræo Dauidem Latinum luculentè fecerint, non eos viderit luminibus ſuis obfuturos, atque homines alicuius naſi eſſe prælaturos verſus ex Hebræo, id eſt, de fonte, eosque planè Horatianos & Virgilianos, verſibus profani, veternoſi, iamque confecti poëtæ, è Molleri riuo, vtcunque antiquam & eruditam poëſim redolentibus. Accedit, quòd ad fulciendam carminis ſui ruinam, apta pariter & inepta rapit attonitus, quemadmodum poëtis quibuſdam Lucianus exprobrat. Vbi aliquis meritò quærat, quid nunc illud, quod in ſua ad reprehenſiones CASTALIONIS reſponſione tam ſuperbè decreuit: Dico (inquit, ad ſe non reſpiciens) dico oportuiſſe te, vt ſacras literas interpretari poſſes, quatuor minimùm linguarum peritum eſſe, Hebraicæ videlicet, Græcæ, Latinæ, & Gallicæ. Dico etiam oportuiſſe te in his eſſe verſatum, vt eorum mentem, & ſententiam teneres. O Satanicam impudentiam! Cur igitur ſuum iudicium non ſequitur? Nónne illud

Beza poëta profanus, veternoſus, &c.

Edictum Bezæ in Caſtalionem.

illud est Apostoli? Hæreticum deuita, cùm sit proprio iudicio condemnatus? consulit, immò verò dicit edicitque nequis sacras literas interpretetur nisi lingua Hebraica plenè imbutus, & interim profanè accedit ad Psalmos, id est, Scripturarũ epitomen versu prosaq; interpretandos, ne ea quidem tinctus. Sed nec video pro Latina interpretatione, cur oportuerit Castalionem magis peritum esse linguæ Gallicæ, quàm vel Vasconicæ, vel etiã Tartaricæ, quum reliquorum interpretum, de quibus agitur, siue veterum, siue recentium nullus Gallus exstiterit, vel probè Gallicè sciuerit. In eo item bellè habet, quod non tantùm Gallicas suas cantilenas damnat, damnandasque præfatur, addita ioculari excusatione, δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, qua eas non solùm Græcè ridet, qui sua causa Gallicè, etiam vsque ad ignes & gladios insaniuerunt, extremoque supplicio affici voluerunt, verùm etiam suum magistrum, per quem nouissimè profecit, & sua Gallica peruersè reddita cognouit, ingratus discipulus flagellat, atque ita in lucem edit, vt tanti laboris & iudicij palmam ad se vnum rapiat. Nam & eum se paululùm immutare, & interdũ emolli-

Beza Gallicam suam Psalmorum versionem damnat.

Beza præceptorem flagellat.

re

reprofitetur. Quasi verò siue benè siue malè verterit Mollerus Hebraicæ gnarus, à Beza eius linguæ ignaro corrigi recensériue debeat aut iustè possit. Quî deinceps nobis pro certo constare poterit, Bezam in proxima Latinorum suorum editione à seipso nõ discessurum, neque de illis idem facturum, quod nunc de suis Gallicis, vt si alter Mollerus exoriatur, qui ipsi videatur rectiùs interpretari, non ipsum suorum istorum pudeat, quæ vsque adeò interim extollit, & prę illis cæteras interpretationes in manibus hominum hactenus sine fructu versatas dicat, cùm præsertim ingenio sit ad hæresim & nato & facto, id est, instabili ac incerto, è nescientibus ea, de quibus affirmat, è semper discentibus, & nunquam ad scientiam peruenientibus vt de istiusmodi pronunciat Apostolus. Apage ergo Belua, Meliora verba de sanctis & doctis viris quæso. Sed nec possum non conqueri, quod illuc nouos & peregrinos Deos inducat, nec Deum Dauidis, sed Iouem Gentilium perpetuò inuocet, cum Castalione à se alioqui oppugnato. Nos enim Christiani à nullis Apostolis & Patribus didicimus Deum vnquam sic fuisse appellatum, etiamsi infiniti integros

Beza ingenio ad hæresim natus.

Beza Iouē, non Deum colit.

gros libros de Dei nominibus Latinè Græceque scripserint, ac Hebraicas voces suis sonis expressérint. Iudæi ad hunc vsq; diem inficiantur, se vllum huius prolationis habere vocabulum, detestantur item profanationem istorum, qui Deum ista nuncupatione afficiunt. Taceo cæteras clarissimas rationes, à me alibi de hoc copiosè commemoratas, quas quia agnoscit & probat, inuidia in Castalionem deriuata, Danæus quidam excucullatum istius mancipium, quodam Sabelliano ad me responso, pro cunctis Ministris de Sabellij furore damnatis & conuictis (pag. 10.) debuit Beza pro suo regno (nam inter istos regnat, vt inter cæcos strabo) vel responsi illius editionem proscribere, vel certè post illam resipiscere. Sed rectè. Sic enim extrema eius primis consentiunt. Quemadmodum prima ætate Iouem suis carminibus celebrauit & cecinit, ita nunc extrema Iouam, nescio quem Deum neque Christianis neque Iudæis cognitum, vnica literula à Ioue differentem canit & inuocat. Quocirca non intempestiuè hæc rythmica aliquis extempore cecinit:

Danæus ex. excucullatus.

Beza sibi hic simile.

Beza

Beza è Paganismo ad Caluinismum transfit, Beza è Caluinismo ad Paganismum rediit.

Esse enim detestandum Gentilium errorem, nomen nouum, incertum, peregrinum, inusitatum Deo imponere docet cõtra Celsum Origenes: Vt fileam ab inferis reuocari Varronis Spiritum Deum Iudæorum Iouem putantis, & tale delirium mundo persuadere conãtis, vt deplorat August. li. 1. de consens. Euang. cap. 21. & seqq. & li. 6. ca. 6. & lib. 7. ca. 5. de Ciuitate. Alij addiderunt subesse etiam venenum Caluiniticum de ἀυτοθέῳ & ἀυτοσίῳ, vt Dei Filius, cui verè quoque propriè, per se competit nomen tetragrammaton, à se diuinam essentiam, non à Patre consecutus videatur. Horum te monitum, Christiane Lector, volui, vt scias quo loco istius mimi Bezæ Psalmi habendi sint, ne etiam tibi sinas euelli hanc editionem, sed eam discas intelligere & omnibus cæteris præponere prius, quàm reprehendere & improbare. Hactenus Bestiæ caput lauit doctiss. Genebrardus. Iam ad eius blasphemias & cõuicia veniamus. Beza itaq; (ait eius Candidus, pag. 35.) vt in peius sese subinde proficere, atq; adeò ad summũ impietatis gradũ contendere nobis facilius per-

Error Cal. & Beza circa Trinitatem.

De blasphemiis Bezæ.

perſuaderet, non peierare tantùm, ſed & blaſphemare Deum voluit. Etenim de Maieſtate CHRISTI, & ſacra Euchariſtia locutus, illam, commentum, laruam Chymeram, abominationem, blaſphemiam, idolum execrandum appellat: hanc verò cœnam Adipalem, Capernaiticam, Cyclopicam, & per quam Eccleſia tandem in Cyclopum antrum transformetur. Immò verò, vt de eo Iacobus Andreas refert auguſtiſsimum hoc tremendumque myſterium, vocat excrementum Satanæ, & abominandum idolum, quo Diabolus ſibiipſi & aliis illudit: aitque præterea, vt Ioannes Schuetz Lutheranus in 50. rationibus aduerſus Caluinianos ſcribit, amicæ ſuæ Candidæ poſteriora (ne plus dicam, adiicit, propter pias mentes) pulchriora eſſe & mundiora, quàm eorum ora & labia, qui ſuſpiciendum hoc & venerandum corporis & ſanguinis CHRISTI Sacramentum recipiunt. O blaſphemiam horribilem, ô linguam præcidendam & canibus offerendam! Rectè S. Hieronym. in cap. 18. Eſa. Nihil eſt horrendum magis blaſphemia, quę ponit in excelſum os ſuum, qua tamen in Caluinianorum ſcriptis nihil eſt vſitatius vel frequentius. Quæ quidem

Abominanda Bezæ blaſphemia.

Erubeſce Lector.

ſunt

sunt eiusmodi, vt eorum meritò me pudeat & tædeat, itaque hominis audaciam, & impudentiam attendamus. Cuius enim audaciæ illud est, quod in præfatione quadam ad Iezabellam (Elizabetam inquam) Angliæ Reginam scribit in hæc verba: Datum ipso die qui festus est D. Thomæ (etsi Caluiniani festa omninò nulla agnoscant præter diem Dominicum, quē etiam falsò è 1. cap. Apocalypseos colligunt) quo die tormentis bellicis & machinis, tua maximè opera, verbum Dei plantatum est in Gallia: funestissimum illud prælium intelligēs ad Druydes, quo in Regios, Regemq́; ipsum, si licuisset, concurrit armatus. O Euangelium pistolicum! Cuius item amentiæ sit, quod Patribus antiquis ferè omnibus bellum indixisse videtur? nam, vt cæteros omittam, Augustinum suum esse mentiuntur (nisi fortassis emerint) Dionysium delirum senem appellant, suæ gentis Apostolum: Cyprianum stupidum, Deo destitutum & deprauatorem pœnitentiæ, Chrysostomum tenebrionem in iustitia fidei, fabulatorem Nanzianzenum, Ambrosium à Cacodæmone fascinatum: Hieronymum autem Beza nominatim in Acta Apostol. cap. 23. nihil dubitat

Audacia et impudētia Bezæ.

Nota Lector.

Euāgelium pistolicum.

Beza quàm nefariè cõtumelioſus in ſanctos Patres.

affirmare (certus de ſua ſalute, vt diximus) ęquè damnatũ eſſe atq; diabolũ, iniurioſum Apoſtolo, blaſphemum, ſceleratũ, impium. O tempora, tempora cuiuſmodi monſtrum orbi peperiſtis! Sed oportet eum, qui ſemel à teneris vnguiculis cum pudicitia pudorem amiſit, gnauiter, vt ille inquit, eſſe impudentem. Quî enim membris parcat, qui à capite CHRISTO non abſtinuit, & Eccleſiæ matris, in qua ſuſceptus, baptizatusque eſt, viſcera inſtar viperæ corroſit, eique violentas manus impius & ſacrilegus attulit.

Beza, Vipera.

Et regnare vult ambitioſus Geneuæ Pontifex, & totius Galliæ Archiepiſcopus (quod ei crebrò ſuus obiicit Candidus) immò verò & in ſocios tyrannidem exercet. Teſtis eſt Seruetus, vt ipſe, hæreticus, quem cùm igni Caluinus, pro ſua clemẽtia adiudicâſſet, ſcripſit Beza librum de comburendis hæreticis, quæ vox ſi paſsim effectum ſortiri potuiſſet, nihil eſſet in hoc genere quod iam ageremus, niſi cum exuſto Beza, hoc eſt, cum larua bellum gerere cuperemus.

Beza ſcripſit librum de comburendis hæreticis.

Italo lingua exſciſſa Geneuæ, cur.

Teſtis Italus ille, qui, quemadmodum iam ante annos aliquot Friburgi intellexi (nihil enim hîc quidem præter auditum habeo) cùm inauſpicatò Geneuam appuliſſet,

& in-

& intuitus Beſtiæ diuinos propè honores exhiberi, cùm obmurmurâſſet, Geneuæ iam pluſquam Papam reperiri (ô ſi ſucceſſionem, vt Caluini, ſic haberet Beza Cathedræ Petri!) eaque vox ſubitò excepta, & ad Pontificem delata eſſet, ei in Senatum vocato ea pars amputata eſt, qua priuatus, in Bezam nihil vnquam quicquam articulatè proferre poſſet. O ſitientem vindictæ Pontificem! Quæ in aliis tamen minus eſſet mira, ſi non eadem Caluiniſtam Ramum excluſiſſet, vt pag. 71. exprobrat tuæ impotentiæ Beza, tuus Candor Caluinianus, tam implacabilis es & efferata beſtia! At vt abyſſus abyſſum inuocat, ſic ex audacia vocor ad impudentias. Ad impudentiſſimam igitur Bezæ impudentiam pertinet, quod ipſe homo, hominum, vtì iam conſtat ſatis, impuriſſimus, in 2. cap. 2. ad Theſſalonicenſes ſcribens, annotatione 4. Cardinales, Papæ rubros cinædos vocat, ipſe cinædus toto orbe decantatus, & ſuis ipſius monumentis, ne non alij fides haberetur, celebratus. Et in capite 13. ad Hebræos, annotatione 4. legem Cœlibatus, vocat diabolicam Tyrannidem (cùm PAVLVS omnes eſſe cuperet qualis ipſe eſſet,

Impudētia Bezæ impudentiſſima.

Beza de Cardinalibus.

Beza de Cœlibatu et Doctoribus Catholicis.

nec satis commodè existimaret satisfieri Deo & Coniugi) & Catholicorum Doctores prostibula Sodomitica, ipse notissimus Sodomita, Caluini Sodomitæ, eaq; de causa perfugæ stigmatici filius secundum hæresim & peccatum, non dico quale, ne obscœnitate verborum cum sordidissimo ganeone videar contendere voluisse. Item 2. Petri 2. Pontifices omnium hominum dicit impurissimos, de quorum tamen nullo tam impura vnquam probare poterit, cuiusmodi ea sunt quæ de se ipso mandauit literarum monumentis. Sed quid hîc ordinem mediter, aut obseruem methodum? obruor scelerum Bezæ fluctibus, & in perpurgando hoc Augiæ stabulo requiratur Hercules aliquis. De impudentia enim, superbia, atque blasphemia habes, Lector, 2. ad Thessalon. 2. annot. 3. vbi nefarius ait sanctos Patres Orthodoxos, si non omnes, at certè nonnullos Antichristo subseruisse: ipse perditionis filius, cumque suo Martino & Caluino Antichristi neruus, vel, vt grauius loquitur eius Candidus, p. 10. Diabolus incarnatus. Ibidem annot. 4. vocat venerabile Sacramentum, farinaceum numen, annot. verò 15. Ecclesię Catholicę traditiones, super-

Beza de Pontificib.

Cumulantur Bezæ facinora.

Beza de Patribus Orthodoxis.

Beza Antichristi neruus.

ſuperſtitiones fœtidas, Catholicosque Doctores inceſsit vt hominũ impudẽtiſsimos. Gaudeo laudari, inquit Hector Nœuianus, ſed à laudato viro, ſi contraria ſunt contrariorum conſequentia, quamquam acerbiſſimum eſt res ſanctiſsimas, & optimos viros ita fœdè cõculcari pedibus, tamen nihil eſt æquè intolerandũ, quàm quod illud à Beza fiat, hominum quot ſunt, quotquot erunt, & quot vnquã fuerunt perditiſsimo, deterrimo, profligatiſsimo, nequiſsimo. Pergamus aũt, nondum enim finis. In 1. ad Tim. 2. annot. 6. omnes Catholicos in genere vocat ſacrilegos: meminit forſan ſuorum in Gallia latrociniorum atq; facinorũ, quodq; faciunt mulieres impudicę, obiicit prior innocentibus crimen, occupat aditum ne eius ſceleris meritiſsimè quidem eum accerſamus: quia ergo ſub genere Catholicorum, per Dei gratiam ego cõtineor, expilatæ per ſuos ganeones, Eccleſię Commercienſis, ad tribunal CHRISTI illum appello, videat, quid cauſæ ſit cuius gratiã me quoq; ſuo nomine ſiſtendum arbitretur. 2. ad Timoth. 3. annot. 8. Abdiam vocat librum execrandum, Nicephorum ineptiarum & blaſphemiarum plauſtrum, tandem iterum ſanctiſ-

Catholicos Beza vocat ſacrilegos.

Beza ad Dei tribunal accerſitus.

Beza de S. Hieronym. simum virum & Doctorem S. Hieronymum, 1. Corinth. 7. annotat. 1. & 9. & 28. Manichæum vocat, improbum, cauillatorem, corruptorem denique sacrarum literarum. Occurrent colligenti plura, & exaggerabit qui volet, velle verò debent omnes quos zelus Dei comederet, ego certè planè defessus sum numerando. Hoc tantum *Votum ad Deum.* peto, patientissime Deus, vt quia ob nostra peccata, tam immane monstrum tamdiu in orbe consistere pateris, huic tandem, nisi resipiscit, ita eueniat, vt de Ecclesia nempe meretur. Supersunt ex ea partitione, quæ *De conuitijs Bezæ.* à me suprà posita est, conuitia, quorum Beza tantus est artifex, vt in reliquis, etsi est summus, nihil tamen esse videatur. Mitto igitur famosos libellos, de quibus copiosè Bolzecus, mitto contumelias in Deum, B. Virginem, & omnes cœlites, quas partim attigimus, partim nobis ignotæ sunt, nihil commemoro eius in suum Regem maledicta, in Reginam probra, in Principes & Magistratus dicteria, ista omnia breuitatis causa prætereo. Odia, rancorem, simultates, dissidia, cæteraque huiusmodi, quorum Beza officina quædam est, missa facio: ea tantùm profero quæ in Hesshusium *Beza in Hesshusiũ.*

con-

congeſsit & in ſuum Candidum. Heſshuſium enim aſinum vocat calcitronem, nebulonem, ſycophantam, &c. in Candidum verò tantum effundit diluuium, vt ipſum, quàm me, præſtet intelligere. Etenim (ait) vt vetera præteream, quibus ſceleſtos nos, & nequam, & nebulones, & ſi quæ etiam grauiora ſunt, dicere conatus es: ſum ego tibi homo maleuolus, maledicus, conuitiator, oſtentator, palpator, diſsimulator, criminator, calumniator, iniquus, ridiculus, putidus, rancidus, laſciuiens, iniuſtus, malæ fidei, impudentis conſcientiæ, ſophiſta, cyclops, ſcurra, maledicentiſsimus, & multò plura alia, quæ pag. 39. continentur. Hic eſt ille manſuetudinis ſpiritus: hæc illa tantoperè ad omnes plagas mundi celebrata modeſtia, tanta illa omnium animi perturbationum moderatio, cuius exemplum nulla ætas ſuppeditare poſsit. Sed in nullos tamen quàm in Lotharingos Principes incurrit furioſiùs, quòd Religionis Catholicæ columen, & columnam, qua Galliæ regnum fulciretur, ſecùs quàm ad ſuum inſtitutum poſtulâſſet, eos ſemper fuiſſe animaduertit. Nulla cuiuſquã in dicẽdo tanta vis eſt tãtaq; copia, vt poſsit,

& auctorẽ Candoris Calumniani.

Beza in Principes Lotharingos.

Beza de Principe Guiſio & Cardinale Lotharingo.

non dicam amplificare ornando, sed tantum percensere numerando, ea quę in Principem Guisium, eiusq; fratrem Illustriss. & Reuerendiss. Cardinalem Lotharingum, quorum illum proditoriè peremit, hūc fortè venenato fumo sustulit, conuitiorum plaustra contulerit. Nec contulerit modò, verùm etiam scripserit, dictârit, & in vulgus sparserit, vt ab omnibus passim cantarentur, & sic Principes innocentissimos, tum viuos, tum mortuos, ignominia sempiterna, si illud modò, consequi posset, afficeret. Nimirum non acriùs illius armis in campo Druydum, quàm huius in conuentu Posiaco luculenta oratione fuerat Beza lætaliter vulneratus. Quo loco, vnde missus esset, rogatus, respondit, extraordinariè: Cur igitur non edit miracula vt Moyses, cuius rei fuit tam anxius in Exodi principio, nisi miracula sint illæ strages Galliæ, Angliæ, & Flandriæ (caueat adhuc à glisscente Bezæ veneno Germania) neque enim plures plagas Moyses in Ægyptum, quàm in florentissima olim, iam nunc miserrima illa regna, sed in suam præsertim Galliam iste Catilina tot annos importauit. Ibidem cum sibi malè conscius

Beza miracula.

Beza Gallarum Catilina.

ſcius ſuæque cauſæ timens, tergiuerſaretur, Cardinalis, qui ad conſenſionem animum adiungebat, eum interrogat, num confeſſioni Auguſtanæ velit ſubſcribere, fore enim vt faciliùs inter ſe negotium componerent. Reſpondit impudenter, nolle quidem ſe, Auguſtanos ipſe ſi vellet agnoſceret, quaſi verò à ſua fide, ab auita Catholicaque Regilione vnquam Reuerendiſs. defeciſſet. Si quis plura quærit, legat Anticaluinum Vigoreum, Sanctæũ Ebroicenſem Epiſcopum, præſertim in libro Gallico de atheiſmis Caluini & Bezæ, itemque congreſsionem duorum Doctorum cum totidem Miniſtris, qui libri ad ædificationem Catholicorum, & confuſionem hæreticæ prauitatis donari latinitate mererentur: Legat Genebrardum & alios qui pro aſſerenda vinea Domini aduerſus has vulpeculas egregiè deſudârunt, hodieq; indefeſſo ſtudio deſudant. Sed quo longiùs in altum euehor, eò mihi facinorum Bezę patentior campus explicatur. Etenim, vt ait Poëta:

Qui contra venena Bezæ ſcripſerint.

Genebrardus.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerũ comprendere formas
Quæ Beza admiſit, non dicere nomina poſſem.

ITAQVE vela contraham, ſi priùs tot ſuis

in alios probris & maledictis illi repoſuerim, quæ duobus libellis ſuus ille Candidus variè ſparſimq; coniecit. Non enim oportet tam lautum hoſpitem prorſus indonatum abire. Illa verò Candidi ſunt eiuſmodi. Beza Cerberus, Archimagerus, canis vetulus, deſperatus, tenebrio, lucifuga, veſpertilio. Nathanael commentitius (eo enim ſe titulo, homo ſimplex, exornârat) ſtultus, impius, deſertus à Deo, periurus, blaſphemus, furioſus, conuiciator, contumelioſus, hypocrita, recantator, calumniator, putidus, fabulator, delirus, vetulus, diſsimulator, furiis exagitatus, Capernaita, Metaphoricus, impudens, obſtinatus, Idololatra, auarus, profanus, ſeditioſus, Aureliæ concionator, bellorum Gallicorum inſtigator, Berengarij diſcipulus, falſus, ſibi contrarius, Proteus, Cameleon, Lucianus, fanaticus, profanus Philoſophus, craſſus Theologus, laruatus, vertiginoſus, mendax, vulpecula, leuiſsimus, Manichæus, Cretenſis, Zigeiner, ambitioſus, bipedum vaniſsimus, vulpecula Samſonis, os impurum, ad fingendum velox, nugator impudentiſsimus, ſine rubore, Medio paraſitæ Alexandri Magni ſimillimus, Geneuenſis Pon-

Quibus epithetis auctor Candoris Calumniani Bezam ornârit.

Pontifex, perturbator Eccleſiæ, impoſtor, Arabicus Tubicen, muſcarum improbitatem ſuperans, quæ, vt olim poëta dixit:

—quamuis de pelle viri ſint ſæpe repulſæ
Aſſultat morſu ratamen.

In ſcenã enim ſemper redit toties profligatus & exploſus, & ſolus ſapere, ſolus regnare vult, cùm ipſi poëtæ illud verè poſsit attribui:

Diſpeream ſi non Pyladi præſtare matellam
Dignus es, aut porcos paſcere Pyrithoi.

Hæc ex Candore Caluiniano, vt mihi gratias agere Beza non debeat, nihil enim hîc meum eſt: qui ſi Satyram clamauerit eſſe hanc, reſpondebo Satyrum oportuiſſe tractari per Satyram. Ad te verò, Lector, vt redeam, ſi Centonem hunc productũ eſſe nimium adieceris, hoc habeto, me nondum omnia effudiſſe, vt ſæpiùs ſcribendum ſit, ſemper nouus veniam, quam facultatem mihi multitudo iſtius vitiorum, flagitiorumque largietur. Iſta itaq; quæ in tuam gratiam pauculis ſanè horis hinc inde collegi, æqui bonique conſules, ſimul animaduertes, cui vnicæ tuæ ſalutem credere debeas. Deus pro ſua benignitate & clementia

tia Eccleſiæ ſuæ hæreſeon fluctibus tamdiu oppreſſæ miſereatur, hæreticos, inprimisque Bezam in viam reuocet, teque, Lector, ſua gratia complectatur. Vale. Ipſo die S. Bartholomæo ſacro, quo ante annos 12. tam pinguis & grata Caluino Lutetiæ victima cecidit. Iterum vale.

REVE-

REVERENDO PATRI AC DOMINO, D. PETRO DE SAINCT VINCENT, DOCTORI THEOLOGO, & Priori de Salona, viro nobilitate, virtute, eruditione, pietate longè præstantissimo, Domino & Mæcenati suo humanis.

PANTALEON THEVENINVS S. P.

VTRVM *hæc Poëmatia, quæ interdum inambulans, lusissem in hæreticos, typis mandare foret vtilius, an intactã planè hanc Cametinam (vt est in prouerbio) relinquere, diu multumq; R. P. dubitaui. Occurrebat enim illa plausibilis sanè, probabilisq; ratio, fore multò præstabilius, istos in viam salutis, humanitate potiùs, quàm conuiciis pellicere, neq; ipsos his aut similibus scriptis, tam in nostram sententiam adduci, quàm lacessitos & exacerbatos, in sua magis peruersitate retineri. Verùm cùm eam esse naturam hæreticorum perspicerem, vt nullis omninò Catholicorum scriptis moueantur, conuiciandi verò falsoq; criminandi finem nullum faciant,*

subiit,

subiit, hanc Sapientis sententiam, quam te quoq; frequenter in ore habere memini, locum hìc obtinere posse: Dic stultitiã stulto, ne sibi videatur sapere. *Auxit animum mihi Hæresiarcharum ingenium, qui petulantissimè incessunt summos Pontifices, Clericatum omnem, Cœlibatum, atq; adeò matrem Ecclesiam tot conuitiis onerant, vt ad eam vnam rem & nati & facti esse videantur. Caluinus, vt paucos persequar, sunt enim eiusdem luti omnes, quàm in maledicendi palæstra fuerit exercitatus, quotq;, aduersus eos, qui suæ causæ non fauerent, maledictorum plaustra congesserit, vt in VVestphalum & alios, qui illum aliquando, vel obiter attigerit, ignorare non potest. Lutherus, istorum omnium communis parens, præter linguã maledicentissimam, si Sleidano ipsi credimus, qui eius gratiâ conscripsit historiam, sui lutulentæ imposuit summum Pontificem, aliaq; adpinxit quæ recitare vetat pudor. Quid Beza? Beza, præter animi tantam impotentiam, quanta in nullo vnquam mortalium fortasse fuerit, scripsit libellum Emblematum, eo tantum, vt existimo, fine, vt Episcopos statuas esse, & pingeret, & fingeret: Regem Carolum, inter Cardinales, pessimos, suo iudicio, Consiliarios statueret, denique, (nam dudum non aspexi, reliqua minimè teneo) serpentẽ immensæ magnitudinis delinearet, quem*

vndiq;

vndiq; in orbẽ capitibus, ſummi Pontificis, Cardinalium, Epiſcoporum, Sacerdotum, Monachorũ, diſtingueret & ſtiparet, immiſſo etiam, ſi Diis placet, cœlitùs enſe, qui nodum Eccleſiæ Catholicæ, conſenſionemq; diſſoluere videatur. O impudentiam Vezeliam! ô Bezanam verè veſaniam! At diſſoluet potiùs Hydram illam, quam in Centone paulò antè deſcripſimus, Lutherũ, inquam, cum ſuis capitibus, & colubris: qui effuſis parentis erutisq; viſceribus inde tanta fœcunditate prodierunt, vt ſectæ iam, ab illis ipſis plus minùs ducentæ numerentur. Quænám igitur inuidia, quæue mihi religio, ſi impudentiſſimis illorũ mendaciis, nonnulla, eaq; vera, maiori moderatione repoſuero? Aut ad matrem Eccleſiam, errantes oues redeant (tametſi, non oues hîc, ſed lupos tantùm, necdum omnes attigi) eaq; ratione à me ſecuri ſunt, aut ſi reſpondent, obſtinati, eò mihi plus acuminis ingeſſerint. Quamquam nihil hîc eſt ferè non extemporaneum, quodq; non adeò propter ſe prodit in apertum, quàm vt ingenioſiores noſtri temporis Catholicos poëtas, in hanc pulcherrimam arenam alliciam. Cur autem hæc qualiacunq; crepundia, in tuo nomine, R. P. apparere voluerim, ſatis, opinor, in eo cauſæ eſt, quòd olim Lutetiæ ſimul Philoſophiæ dederimus operam, atq; omninò, ante annos decem, morbo affli-

Etum

Etum grauissimo, sic me tua liberalitate sublenâsti, vt abeo tempore, secundum Deum, vitam tibi acceptam feram. Sed etsi hæc non essent, iustæ sunt aliæ, sufficientesq́, causæ, communis patria, LOTHARINGIA, communis Princeps CAROLVS huius aui ornamentum singulare, ac decus eximium: communia Sacra, tantùm non communis professio, tametsi sim adhuc in manu Domini, mihiq́3 sit conscientia testis, in quam partem magis propendeam, causæ verò inprimis tua eruditio, virtus atq3 pietas, (vt nobilitatem, splendoremq́3 generis nihil hoc loco commemorem) quæ singulain te sanè tanta sunt, vt eadem, reliquis tuæ sortis hominibus, optare non dubitem. Nam deprauatos homines, aulicos (rara siquidem auis, apud Gallos potissimùm, vt aulicus animum ad pietatem adiungat) blasphemos, contentiosos, atq3 faces huiusmodi execraris, ex sententia Psalmi centesimi, & eos, nisi si qui fortè tuis increpationibus adducti, ad mentem redeant, penitùs auersaris. Continentia tibi, vitaeq́, moderatio summa, pietas, & ardor ipse deuotionis, Religionisq́3 Catholicæ zelus incredibilis, vt ij me norunt meliùs, qui tecum hoc tempore familiariter versari consueuerunt. Jam verò etsi dudum Lauream in sacratissima Theologiæ facultate, & quidem Lutetiæ adeptus es, librum nunquam ponis de manibus, in con-

concionibus sacris ad populũ declamitandis frequens es, orationibus instas & precibus, pauperésque semper assueta illa tua benignitate prosequeris. Deniq; sic tete geris (conscius enim mihi est, pro veteri nostra, Lutetiæ, consuetudine animus, quàm leuiter, quamq; pauca de tuis virtutibus adduxerim) vt re simul & nomine, sis verè nobilis, Catholicus, Doctor, Theologus, & religiosus. Sed tua me iam, in pauculis istis recensendis, videtur increpare modestia: Accipies igitur R.P. solita illa tua in me humanitate, hoc pusillum opusculum, leuidense illud quidem, pignus tamen amoris & obseruantiæ in te meæ, dum aliquid aliud breui fortassis expoliam, quod T. R.P. futurum fiet acceptius. Vale, a.d. 25. Augusti, 1584.

DE HÆRETICIS POEMATIA.

VVICLEFVS.

MOnſtrũ horrendum, ingens, fidei cui lumen ademptum.

Gallia væ reprobis nimium vicina Britannis.

SVNT iſta quidem ad imitationem Virgilij, ex cuius æmulatione quoq; alter verſus ſic habere poſsit.

Sic penitùs noſtro diuiſos orbe Britannos?

HVSSIVS.

Protea conſtanti tenuit Conſtantia nodo,
Hæc etiam fuerint fata Luthere tibi!

FINGVNT Hæretici fidem huic non fuiſſe ſeruatam, qua de re Campianus in 4. ratione, ibiq; Duręus Scotus, aduerſus VVitakerum, vbi probat nullam Huſsio à Conſtantienſi Concilio fuiſſe datam fidem.

HIERONYMVS PRAGENSIS.

Fundamenta quatit, totamq; à ſedibus imis
Eruit hic Romam. Callidus hoſtis erat.

ECCLESIÆ QVERELA DE HÆRETICIS.

Quæ vox hæc Sponſæ? paruas excindite vulpes:
Heu, quot vaſtatur vinea noſtra locis?

HÆRESIS EXCINDENDA.

Ni fuerint imæ fibræ de ſtirpe reuulſæ,
Inſano ramos caule valere putes?

LVTHER anteà Lodder.

Texuit infandas ſcelerato ſtamine telas,
Quid mutat nomen? iure Loderus erat.

ANTICHRISTVS.

Ingemis hunc primum diſpungere viſa Ioannis?
Forſitan hinc ſeſe nouerat ipſe ſatis.

PROPTER Genebrardũ, qui de Luthero, 4. Chronolog. ita ſcribit. Aliqui Antichriſtũ eum eſſe contendunt, quòd ſit caput & Patriarcha hæreticorum in Occidente, qui ſe toti armârunt contra CHRISTI doctrinã, & beneficiorũ eius memoriam. Facit ad illorum coniecturas Lulter, characteribus Hebraicis reddere numerum Antichriſti 666. Apoc. 13. Saltẽ igitur erit neruus Antichriſti, nobile proximumq; eius membrũ, &c.

LVTHERVS.

Eſto Euangelicus quantum velit eſſe Lutherus,
Hoc ſcimus, fauſti nunciat ille nihil.

DE EODEM.

Lutherus Chriſtum, Chriſti ſponſamq; fefellit,
Amiſſam toties ingeminatq; fidem.

DE EODEM.

Atqui orbis tanto ſectarum fluctuat æſtu,
Et veſtem Chriſti te lacerare negas?

DE EODEM.

Vulneribꝰ Chriſti nunquã illachrymâſſe Luthe-
Dicitur. Hoc mirum? non fuit ille bonus. (rus

ALIVD.

Vtcunq; in mensis dicax se scurra leuaret,
Semper, quod tacitum, vellere posset, erat.

ALIVD in Haddonum.

Siccine ad astra vehis falso sermone Lutherum?
Exitus acta probat; mortuus ebrius est.

ALIVD.

Ierem. 1. *Olla Lutherus erat succensa Aquilonis ad oras,*
Illinc in terras panditur omne malum.

LVTHERI GESTA.

I.

Pontificem vellit, Turcam ciet, atq; tumultus,
Carniuorus potat, sacrilegusq; coit.

II.

Dæmonis alloquio fruitur, Patresq; Tridenti
Ridet, MISSAM agitat, Cæsaris arma mouet.

III.

Comburit Decreta Patrum, nixusq; Philippo,
Seditionis amans, ore Sophista tonat.

IV.

Principibus dat opes Cleri, Sacra funditus aufert,
(Nuda fides satis huic) & temulentus obit.

V.

Temporibus nostris hæc Hæresiarcha Lutherus
Fecerit? haud posset deteriora Satan.

HÆRETICI.

Mutant Hæretici mutata, nomina, veste,
Et quanuis falsi suspicione carent? Lv-

LVTHERI DISCIPVLI.

Eheu discipulis sic dilanianda Lutheri
Viscera? quid facias? vipera vivus erat.

ALIVD.

Dissipat arte Satan, deuincit fœdere Christus,
Hæretico Hæreticus dissidet: vtrius est?

MINISTRI.

Siccine Principibus miscent aconita Ministri,
Censerig, proba Religione volunt?

Osor. lib 1. & 3. de Relig.

CONCORDIA SCHMIDELINI.

Mille abit in partes discerpta furore suorum,
Et glutinum tortus Mulciber iste coquit?

MELANCTHON.

Omnia quàm tristi denigrat hypocrita vultu,
Bestia nigra, leuis transfuga, & erro vagus.

SLEIDANVS.

Historicus? nugæ plus est quàm Græcia mendax:
QVINTE mihi testis CAROLE summus eris.

BRENTIVS Brant. bren.

Nunc te Tartareis dedunt Germanica flammis,
Quid fueris viuis Gallica verba sonant.

BVCERVS.

Buceri ab occursu, cornu ferit ille, caueto,
Credidit hisce dolis Anglia vana latus?

ZVVINGLIVS.

Zvvinglius in flammis, quas ipse accenderat, arsit
Alter tum patriæ, tum Catilina sacris.

OECOLAMPADIVS.

Hui ſpecus horrendũ & tetra caligine merſum!
Luminis aut olei nil ea lampas habet.

SPECVS ſc. Triphonij, & lampas fatuarum Virginum.

FARELLVS.

Præ reliquis rabido furioſiùs irruit ore,
Cyclops, in matris viſcera, qualis erat?

VIRETVS.

Hic, ne non parum nomen quadrare Vireti
Fortè putes, viuens nil niſi virus erat.

CALVINVS, chauuin.

Eſt, non eſt. fruſtrà ſic caluere? ſicne moraris?
Quàm tibi Caluini nomina ritè nouas!

ALIVD de eius morbis.

Prouerbium vetus.

Gallia tota ægra eſt huius prurigine porci:
Morbida ſola pecus inficit omne pecus.

ALIVD Atheiſmus.

Nunc hos, nunc ſcopulos fertur Caluinus ad illos;
Ac ſenſim gliſcens dedocet eſſe Deum.

ALIVD.

Sic capite obſtipo eſt, ſic caluo, & tabe pereſus
Ne pilum frugi poſſit habere viri.

ALIVD.

Adſtruere eſſe Deum, cauſamq; hunc eſſe malorũ,
Id Caluine Deum nil niſi deſtruere eſt.

ALIVD.

ALIVD.

Authorem ſcelerum Caluinus numen adorat?
Hoc vno cenſet numinis eſſe nihil.

MAROTVS BEZA.

Faunus erat tantùm, Satyrorum more, Marotus,
Hortorum cuſtos, Gallia, Beza tibi.

ALIVD.

Et tangunt Pſalmos? procul ô procul eſte profani,
Conclamat Vates, turba ſceleſta procul.

CONFESSIO BEZANA.

Non confeſſio iam, verùm confuſio planè
Vſque adeò vobis Beza recocta fuit.

BEZA.

Leucippus, numen quod fecerit eſſe quietum,
Re negat, heus quid tu cui facit omne ſcelus?

ALIVD.

Cernis veſani ſcurrilia carmina Bezæ?
Hoc quoq; nunc ſacros polluit ore libros.

ALIVD.

Si ſapis inſanum metuas tetigiſſe poëtam,
Non parcit ſummo furcifer ille Deo.

ALIVD.

Atheus eſt, ne non Theodori nomen haberet,
Sanctæus nobis, ſi negat, auctor erit.

ALIVD.

Qui ſeris, accinctus, Caluini ſomnia, ferro,
Beza, vel hoc Chriſti, vel Mahometis opus?

ALIVD.

Vezeliúne rogas quæ sit vesania Vatis?
Vespa est, insana est bestia, fucus atrox.

ALIVD.

Dixerat, antè, Iouem: respondent vltima primis,
Ignotum dicit nunc quoq; Beza Iouam.

LVTHERVS.

Si nequit, aut non vult coniunx, ancilla vocetur,
Nil te flagitij, sancte Luthere, pudet?

BEZA.

Quis tibi, Beza, pater? Caluinus. Quis pater illi?
Lutherus. Patre quo? Dæmone patre satus.

NATVS fertur ex incubo Genebrard. & gloriatur se victitâsse cum Diabolo.

BEZA.

Vezelium Bezam cognoscere fortè laboras?
Totus flagitiis nobilitatus homo est.

ALIVD.

Beza vnus scelere ante alios immanior omnes,
Hæreticus pungit quos agitatq; furor.

CALVINI ANAGRAMMATA. 3.

ALCVINVS voluit, voluit LVCANIVS esse
Versus Caluinus, sed LVCIANVS erat.

ALCVINVS fuit Monachus, CAROLI MAGNI præceptor, huic Caluinus suppositit librũ de merito CHRISTI, vt & ipsi CAROLO MAGNO librum aduersus imagines; ediditq; librum

librum alium Lucanij fictitij nomine, ipse reuera Lucianus, atheus odiumque Dei & hominum. Surius, alij.

SERVETI MORS.

Viuum Seruetum Caluinus fortè cremârat,
More suo clemens, Hæreticum Hæreticus.
Hoc vbi Francorum Regis peruenit ad aures,
(Rex Henricus erat) risit, & adiiciens:
Aduersis, inquit, semper turgere venenis,
Serpentum genus hoc in sua damna queat.

RAMVS.

Rame, quid insanis? Logicam tibi sumito tãtùm,
Teq; in sacra scias iuris habere nihil.

BVLLINGER.

Fraq;, insidiaq;, & noxia crimina cordi *Virgil.*
Sunt in sacra tibi: siccine belliger es?

MVSCVLVS.

Muscule, quid facient immani corpore glires,
Si tantùm, exiguo rodere dente, potes?

DANEVS, Dané.

Gallica damnatum te vox sonat, omine tetro,
Natarum Danai sunt tua scripta labor.

BEZA ouum.

Ouum significat Iudæo nomine Beza, *Malum ouum.*
Germanis signat dictio böse malum.

ANTIMACHIAVELLVS
liber Gallicus.

Pratexit flores, atenim, latet anguis in herba,
Tetra superfuso toxica melle gerit.

MACHIAVELLVS.

Impius hic passim Magnatum obsederit aulas?
Res non difficilis consociare pares.

HENRICVS STEPHANVS.

Græcus es, & toto Lucianus haberis in orbe,
Abnuis? at produnt te tua scripta satis.

DE COLLOQVIO D. VIGORÆI & D. Sanctæi Theologorum, cum SPINA & ROSA Caluini Ministris, Lutetiæ 1566.

Nil fuit in Spina succi, hinc Rosa decidit arens,
Quid propè cum sancto, cumq́, vigore? rogas?

PETRVS MARTYR.

Falsus vt à vero desciuit Martyre Martyr,
Verus erat, replicas: Dæmonis ille quidem.

ALIVD.

Quid cũ Martyribus falso tibi nomine Martyr?
Es Martyr, verum est, est homo, pictus homo.

IN HADDONVM Iuristam.

Reliquias sancti combusserit Anglia Thomæ?
Quis furor hic (quæso) Relligionis erat?

ALIVD.

ALIVD.

Iustinianeam nunquam fortasse tenebis
Iustitiam. Paulum dilaniasq; miser?

ALIVD.

Morum, & Roffensi cum præsule, Carthusianos *Osor. lib. 1. de Relig.*
Hac saltem causa viuere posse velis.

ALIVD.

Haddonus stultæ permittit Biblia plebi
Stultus, idem sese iuris habere putans.
Ac libros non vult vt tangat Osorius illos,
Quòd præsul doctus, quodq; disertus homo est.
At, sacra Pontifices tractent, fabrilia fabri,
Rabula verbosi surgat ad arma fori.
Bellus es, &, si vis, obseruantissimus æqui,
Nec sua permitti cuiq;? aliena rapi?

HÆRESIARCHAE ferè Apostatæ.

Hæresiarcha ferè discinctus Apostata quiuis,
Dignum patella operculum.

STVRMIVS.

Antè Petri sacram quateret quam Sturmius *Allusio.*
Ipsi perbellè cum Cicerone fuit. *(arcem,*

PAPPVS.

Quis nescit Pappos, deterrima semina florum?
Surgit in Hæretico stirps ea multa solo.

PERSECVTIO ANGLICANA.

Desierant dudum (malè sit tibi Beza) Nerones,
Anglica Martyribus Iezabel vna redit.

KEM-

KEMNITIVS.

A Cham Kemnitius deducit nomina, quidni?
Riserat ille patrem, risit & iste Patres.

Scripsit aduersus Concilium Tridentinum.

HEERBRANDVS.

Totus homo ex homine Heerbrando producitur, ecce
Quantos errores iste beanus habet.

EFFIGIES LVTHERI.

Virgil. *Canicies inculta iacet, stant lumina flamma,*
Et faciem durum, Beza, prementis habet.

ALIVD.

Vt truculenta viro facies, oculiq́, bouilli?
Haud index animi candidioris erit.

ALIVD.

Tali Bacchus erat, tali Gargantua vultu,
Tale triplex mentum Pantagruelis erat.

MVLLER.

Queritur Augusta cur fugerit exul ab vrbe?
In promptu causa est, seditiosus erat.

MARBACHIVS.

Insani manant isto de fonte liquores,
Immeritóne, queas dicere Narbachium?

CAROL-

CAROLSTADIVS.

Vltima transacta respondent tempora vitæ,
Horribili spectro ludificatus obit.

HÆRETICI DIVISI.

Aspicis Hæreticos vt qualibet vbera sugant?
Hoc iuuat è matris prosiluisse sinu.

RABVS, Abus.

R, modò detur, qui sis, vox Gallica promit,
Non pateris? rabido congruit illa seni.

ALIVD, Rapp.

Si coruus niger est, hunc tu Romane caueto,
Sunt Germana satis, Gallica verba premam?

HOTOMANVS.

Quàm te suspicio, quàm te, tua scripta, miror,
Ni tamen à patria Relligione cadas.

OSIANDER.

Si fastos veteres seruas, si prisca tueris,
Cur tibi cum veteri Relligione nihil?

Scripsit cõtra Calendarium Gregor.

FR. RABELAIS.

Hunc potuit quondam Lucianus habere magistrum,
Est iunior, sed plus impietatis habet.

LVPVLVS.

Qui fuerat Lupulus (sic creuit bestia) nuper,
Iam quantus rabido prodit ore lupus?

SER-

SERVETVS.

Dignus erat (fateor) flammis crepitantibus vri,
Te tamen interea iudice, Beza, nego.

MVNSTERVS.

Denegat Hæreticus quæ, sanior, antè probârat,
Hoc sibi ius igitur turba scelesta rapit?

Vide Genebrardum, lib. 2. Chronologiæ, vbi agit de Machabæis.

DOLETVS.

Indoluere boni te non doluisse, Dolete,
In viuis, quod iam forsitan vsque doles.

HESHVSIVS.

Ad PETRI refluat veteres Heshusius vndas,
Non Caluinistis acrior hostis erit.

CASTALIO.

Lis tibi Castalio cum Beza sacra, probatur,
Si tibi nobiscum lis quoq; nulla foret.

SWENCKFELDIVS.

Etsi non alio norim te nomine, Suuenckfeld,
Ex hydra coluber tu tamen vnus eris.

SCHECKIVS.

Non tibi de Logicis iam quæstio Ramica, Schecki,
Est aliud summo bella mouere Deo.

Vide quę de Trinitate aduersus illum scripsit Genebrardus.

VVEST-

VVESTPHALVS.

Istis dignus eras, forsan, tot, VVestphale, probris,
Sed non quæ faceret perfuga stigmaticus.

PVRITANI.

Impuri potiùs debent cognomine dici,
Quæ non tetra lues ex Acheronte venit?

ILLYRICVS.

Nescio num Lyricus fueris in carmine Vates,
Certè in diuinis prorsus es Illyricus.

BEZA SEDITIOSVS.

Si sapit à vafris caueat Germania Gallis, Noua.
Turba nescio quid Beza mouere parat.

ALIVD.

Si sapis à Galli caueas Germania technis, Noua.
Horrida nescio quæ bella, Nauarra, canit.

VBIQVE.

Brentius, in tabulis, testatus VBIQVE, *supremis*
Quid, nisi ne passim non sit VBIQVE, *timet?*

MVLLER Pictus.

Mülleri faciem, benè curata cute cernis?
Viuat adhuc pauco tempore, Bacchus erit.

MVLLER, Iuno Lucina.

Müllerus fœtis Iuno Lucina puellis
Augustæ (mirum si repetatur?) erat.

BEZAE ANAGRAMMA.

BESA *velut, tam re, quã verso nomine,* SEBA *est,*
SEBA *velut quondam, sic quoq;* BESA *cadat.*

DE

DE RELIGIONE.

DEVS.

Abs quo principium, Musa? Mihi credite, ab illo,
Qui Triplex-unus Maximus, Optimus est.

CHRISTVS.

Te solo genitore satum, ter matre fatemur
Virgine, Seruator, Christe homo, Christe Deus.

B. VIRGO.

Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor vtrumque,
Vt veteri fertur carmine, at ecquid id est?

ALIVD.

Virginis euectum miraris ad æthera corbus?
Communis labis traxerat illa nihil.

ECCLESIA.

Fluctuat, at nullis vnquam mersabilis vndis,
Ecquæ tam stabili dente retenta ratis?

ALIVD.

Quid defit Petro? Titulus? Possessio longi
Temporis? Hæcq; bona continuata fide?

ALIVD.

Lib. 3. de Relig.

Qua tanta sponsam depinxit Osorius arte?
Ore pio sponsum blandituscq; refert.

GREGORIVS XIII. PP.

Missorum à Christo numerũ certo omine cõplet,
Hocq; tibi nomen, non sine sorte Dei.

ALIVD.

ALIVD.

Corrêxti veterum Faſtos, Decretaq́ Patrum,
Fractis Hæreticis. hoc vigilantis opus.

PRÆSCRIPTIO ECCLESIÆ
in Haddonum.

Sic tibi ter denis præſcribitur hæreſis annis? *Oſor. 3. de Relig.*
Interrupta licet, quod nec is inficias!
Temporis immenſo Turcus regnauerit anno,
Vera fides igitur ſic Mahometis erit?
Atqui ſcire velim, tua qua poſſeſſio cauſa,
Vel qua ſit demùm continuata fide.
O ſi Pontifices à primo tempore PETRI,
Ordine nobiſcum dinumerare queas!
Sis Haddone licet, Paulo conſultior ipſo,
Si in re tantatu tibi iure caues?

SVMMVS PONTIFEX.

Pagina ſacra docet, Patrũ monimenta loquũtur,
Tempora confirmant, Beza, quid vlterius?

ALIVD in Haddon.

Rex Chriſtus, Rex idem hominum, ſummuſq́ Sacerdos, *Oſor. lib. 2. de Relig.*
Agnoſcis Regem, Pontificemq́ negas?

ALIVD in Haddonum.

Tranſtulit ad Reges Sacrorum iura Britannos,
Hinc vltrix Nemeſis, hinc maleſuada Venus.
Num Conſtantinus, Theodoſius, aut Lodoicus,
Hac aſcenderunt Relligione polos?

ANGLOS esse constat Caluinianos putidissimos, maxima ex parte, Caluinus tamē in ca. 7. Amos de Henrico Anglorum Rege, scribit in hunc modum. Qui initiò tantoperè extulerunt Henricum Regem Angliæ, certè fuerunt inconsiderati homines. Dederunt illi summam rerum omnium potestatem, & hoc me semper grauiter vulnerauit. Erant enim blasphemi, cùm vocarent ipsum summum caput Ecclesiæ sub CHRISTO. Hæc ille. Et tamen hodie, vel Puritanis iudicibus, qui nihil nisi Caluinum spirant, qui secùs dixerit in Anglia, accersitus maiestatis, suspenditur, dissecatur, discerpitur, euisceratur, in diuersa distrahitur. Tam tyrannicè hoc vnum vindicant, quod tantoperè Caluino ipsorum primo parenti displicuit. O præclarum religionis benè constitutæ fundamentum!

IN ANGLOS Caluinistas.

Non satis ad fusum fortes trepidare Britannos?
Fert etiam claues Elisabeta PETRI?

ALIVD.

Dan. 5. Paralip. 2. cap. 26.

Ius in sacra tuo concedens Anglia Regi,
Nosti lepram Oziæ, Baltasarisq; necem?

MIS-

MISSA.

Quàm multa, & paucis, aperis mysteria verbis? *Osor. li. 3. de*
Quid plura? è cœli vertice Missa venit. *Relig.*

OSORIVS.

Oderat Hæreticos Osorius, inde vocatum
Crediderim, fato præueniente, virum.

CONFESSIO.

Virtutem reuocat, vitiorum semina furtim
Eradit, nobis conciliatq; Deum. *Virgil.*

ALIVD. *Osor. li. 2. de*
Relig.

Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet, hoc, quæso, quomodo, Beza capis?

S. EVCHARISTIA.

Sunt remi nimium fragiles, ratioq;, tropiq;!
Certa micans nobis sit Cynosura Fides.

ALIVD.

Sanguis hic, hoc corpus, Christi sententia clara est,
Vllane præterea Beza figura? Tibi.

HOC EST CORPVS MEVM.

Omnia naturæ, quamuis miranda, fateris,
Et Christi verbum dissimulare potes?

ALIVD.

Si vult, Beza, potest, ipsum voluisse negabis?
Dixit, id humana sed ratione capis.

ALIVD in Sacramentarios.

Nusquam hoc Hæreticis in mente venerat olim,
Ah tantum admittant secula nostra scelus?

ALIVD DE SS. CHRISTI Corpore.

Ne se desertam putet esse Ecclesia, Christus,
Hoc, abiens, inquit, pignus amoris habe.

PROFANATIO SACRORVM librorum.

Versus Aristoteles plebi non format acumen,
Huic lucem Moysis pagina versa dabit?

PVRGATORIVM in Haddon.

Osorius lib. 2. de Relig.

En tibi mille locis animi lustratio constat,
Nil affers? Censes esse negare satis?

ORATIO PRO DEFVNCTIS.

Pro vita functis Patres orare vetusti
Decernunt, istud tu modò Beza negas?

MARTYRIVM in Caluinum.

Martyrium non flamma facit, sed causa, tuique
Perfidiæ pœnas sustinuêre suæ.

IVSTIFICATIO.

Osor. lib. 2.

Confidit nimis hinc, hinc desperatq; Lutherus,
Quam benè sancta Fides inter vtrumq; tenet?

ALIVD.

Fatali Stoicus Lutherus in ordine rerum,
In reliquis porcum dissimulare nequit.

ALIVD.

Si fuerit nobis, vt vis, prærepta voluntas,
Quo tandem pœnas iudice, Beza dabis?

SECV-

SECVRITAS HÆRETICA.

Exſpectanda dies homini poſtrema, beatum
Ante obitum ſeſe dicere nemo poteſt.

VOCATIO.

Beza, profanus eras, iam nunc myſteria pandis? *Ad Rom.*
A quo ſis miſſus diſſere Beza mihi. 15.

IEIVNIVM.

Admonet atq; probat factis ieiunia Chriſtus,
Mater ſancta iubet, Beza negare potes?

IEIVNIVM, ORATIO, ELEEMOSYNA.

Mente preces caſta, pietas aduerſus egenos, *Tobiæ.*
Ieiuniumq;, ſed abſq; hypocriſi, bonum. *Iamb.*

RELIGIOSI in Lutherum.

Si poſſit ſanctam Monachorum euertere gentem,
Poſſit ſacrilegum diſſimulare nefas.

Conſtupratuit enim Catharinam Boram, Monachus Monacham.

IMAGINES in Haddon.

Signa colunt, inquis, de ligno et marmore; falſum.
His etiam credunt numen ineſſe; furis.

CRVCIFIXVS.

Faſciculus myrrhæ, Crucis hæc ſublimis in ara *Cant. 1.*
Dilectus mihi erit ſemper in vberibus. *S. Bernard.*

PASSIO CHRISTI.

O lignum, ô clauos, ô fontes ſanguinis, agnum
Siccine morboſo pro grege ſponte mori?

ORATIONES SANCTORVM.

Nil audire facis, nil cernere posse beatas
Cum Christo mentes? hîc ita acutus eris?

POENITENTIA.

Diffluere in lachrymas, & tũdere pectora palmis,
Quàm semper summo victima grata Deo?

ABSTINENTIA, CASTITAS.

Spondaic. *Olim sacrilego nexu maria exundárunt,*
Et vetitis homines interîre cibis.

SVPPLICATIONES, Processiones.

4. Reg. 5. Act. 8. *Ni Naaman esset peregrè, Eunuchusq́ profectus,*
In regione sua munera tanta ferant?

DE SVPPLICATIONIBVS anni 1583. in Gallia & Lotharingia, &c. in Bezam.

Tu scelus affinges hominum tot millibus? Atqui
Peccatur recta simplicitate nihil.

CONSTANTIA IN RELIG. CATHOL.

Ad Rom. 8. *Non polus, aut Acheron, non mors, non tela, vel ignes,*
Arcebunt sancta Relligione pios.

VOCATIO INDORVM REIEctis Hæreticis.

Cur Esau fratri iuuenis præfertur Iacob?
Mysterium est vocationis gentium.

DE COENA HÆRETICORVM.

Prandia Beza iubet tantùm cœnare paratis,
Et Christi verbis detrahit inde nihil?

INDVL-

INDVLGENTIÆ in Haddon.

Sæpiùs inculcas plumbo peccata remitti,
Vt lepidum forſan te tua turba putet,
Negligis interea partas è ſanguine Chriſti,
Sancta matris opes. Quam miſer iſte iocus!

AQVA BENEDICTA.

Incorrupta manet, ſi cætera credere nolis,
Vnda piis dici quæ bene-dicta ſolet.
Inſpergiq́, negas? benedictaq́, cuncta reponis?
Obruat hæreticum lympha profana pecus.

ROSARIA.

Perditùs Hæreticos odiſſe roſaria! mirum?
Malint in cœno delituiſſe ſues.

SEPVLTVRA.

Cur non, more Patrum, concedis iura ſepulcri
Beza tuis? cenſen' forſitan eſſe canes?

Et ipſe ſe Moloſſum Beza vocat, aduerſus ſuum illum Candidum, de quo ſuprà.

COELIBATVS.

MOYSES atq́, PETRVS ſuſcepto munere Vatũ,
Annón legitimos deſeruêre thoros?

Hæretici verò nefando ſacrilegio illicitos adſciſcunt. Vide Genebrard. I. parte Chronolog. vbi de Moyſe.

IN LVTHERVM PRO D. DIONYSIO.

Turbauit terras, os torſit in æthera, vellens
Æthereas mentes, Cecropiumq́, ſenem.

BEZA DE DEPREHENSA in adulterio.

Est suspecta tibi mulier deprensa? videto
Ne volet in crines Samaritana tibi.

IN VVITAKERVM.

Somnia vana putas. sunt VVitakere, fatemur,
Non tamen in sacris somnia vana libris.

CATEGORIÆ CATHOLICORUM, seu 10. Rationes Edmundi Campiani.

1. SACRÆ LITERÆ.

Desperant, quid enim truncarent Biblia falsi?
Spiritus est, aiunt: conueniuntq; nihil?

2. SACRARVM LITERARVM sententia.

Sic sentis. credam, nolis cùm credere nostris?
Beza, carent omni suspicione Patres.

3. NATVRA ECCLESIAE.

Ecquâsnam species Caluinus in aëra finxit,
Quas Christus tantùm nouerit atque pij?
Pentemim. *O nugas hominis, ô somnia Pythagorea!*
Candor vbi? veterum simplicitasq; Patrum?
Patres non habuit, desperauitq; nepotes,
Re cadit, inuitus nomen inane tenet.

4. CON-

4. CONCILIA.

Numinis afflatu toties conuenerit orbis:
Conciliisq; nihil, perfide Beza, dari?

5. PATRES.

Proscindi Patres deturbariq; Theatro?
Astutè. steterint, mox quoq;, Beza, cadas.

6. FIRMAMENTA PATRVM.

Firmamenta Patrũ refugis cane peius & angue,
Hic armatura fortium est. Cantic. 4.

7. HISTORIA.

Volueris historias veteres simul atq; recentes,
Quid nisi nostrorum, Beza, trophæa canunt?

8. PARADOXA.

Impia forsan, ais, spurca, atq; horrenda videri.
Quin Epicuræos talia scripta docent.

9. SOPHISMATA.

Ah! quãta hyppocritæ torquêre sophismata norũt!
Fustibus ad Logicam Beza vocandus eris.

10. OMNE GENVS TESTIVM.

Quocunq; aspicias faciunt supera, infera latè
Certam de nostra Relligione fidem.

FASTI HÆRETICORVM.

Hìc video tantùm Lutheros atq; Philippos,
Martyribusq; fecit pagina nulla locum.
Scribis id vt facias te Relligione moueri,
Illos substitui nulla superstitio est?

O technas vafri varias à Dæmonis artes!
Vt gliſcens ſeſe ſufficit atq; ſuos!

QVAM putidum in eorum Calendariis cernere nihil aliud, quàm tali die mortuus eſt D. Luther, tali Philippus, & eiuſmodi nænias.

RELIGIO COMITATVS PALATINI AD RHENVM.

PETRVS erat primò, ceſſit furialibus auſis
Lutheri, qui mox dat tibi, Beza, locum.
Ad tempus ſedenim ſedes reuocatus ad illas,
Lutherus, cedit nunc quoq; Beza, tibi.
Exul Beza locum Schmidlino fortè daturus,
Hoc animo iunior ſi Palatinus erit.
Forſan adhuc viuet qui ſingula viderit, atq;
Diuiſum in ſeſe cogitet eſſe Deum.
Principibúſne in res hæc tanta licentia ſacras?
Ad PETRVM remeet, ſi ſapit, iſta ratu.

CORVI IN PALATINATV.

Sed, cur, mutarent ſedes dum fortè miniſtri,
Ceruorum terras tanta caterua ſubit?
Caluini coruis, * *corui ceſſêre Lutheri,*
Alite res * *iſta teſtificanda fuit.*

* Pulli.
* Atra.

DE DD. Petro & Theodoro Caniſiis, Societatis IESV Theologis.

Aaro-

Aaronis magicos confecit virga dracones,
Sunt canibus noſtris præda Luthere tui.
Dico canes noſtros ſanant qui vulnera lingua, S. Gregor.
Si modò tu Chriſto Lazarus eſſe velis.
Dico canes ambo, qui quamuis ſtirpis auita,
Deliciis Regum præpoſuêre crucem.
*Dico canes q3 tuos furiata mente * colubros,* * Miniſtros.
Quorum tu ſtygio Cerberus amne pater.

HISTORIA RECENS DE QVODAM Viennenſi.

Nuper erat celebris mercator in vrbe Vienna,
Sed tamen, inſano more, Luthere, tuus.
Iſ, cùm febre graui miſerè decumberet, æger,
Atq3 virum Chriſti ſollicitaret amor.
Quanta Lutherana doctrinæ inſania, dixit;
*Hac ſperem cœlos, * impietate peti?* * Relligione.
Seruisq3, ite, iubet, Patremq3 accerſite nobis,
Ex his qui Muſas cum pietate colunt.
Aduolat, ægrotus ſua crimina ritè fatetur,
Et Chriſti corpus ſuſcipit ore ſacrum.
Protinùs ex omni deſcendere parte miniſtros,
Increpitare virum, congeminare fidem.
His ager, læta, fauſtiſſima mente precatus,
Hoc demùm carmen prompſit, & interiit.
Degere vobiſcum res eſt gratiſſima viuis,
Tutum cum Patribus deniq3 poſſe mori?

ORA-

ORATIO PRO PACE ECCLESIÆ AD CHRISTVM.

In virtute tua surgat Pax aurea mundo,
Psalm. 121. *Turribus inq3 tuis quod satis atq3 super.*

AD LECTOREM.

Alterius generis sunt nobis carmina, Lector,
Qua, post hac, si vis, qualiacunq3 feres.

AD EVNDEM.

Deducant alij longo sua carmina filo,
Conuenit arguta cum breuitate mihi.

Cum facultate Superiorum.

FINIS.

BREVIS POEMATVM INDEX.

A.

Abstinentia. 200
Angli Caluinistę. (196
Antichristus. 181
Aqua benedicta. 201
Atheismus. 184

B.

Beza. 185.186.202
Beza ouum. 187
Beza seditiosus. 193
Bezæ anagrammata. 193
Brentius. 183
Bullingerus. 187
Bucerus. 183

C.

Confessio. 197
Caluinus. 184
Canisij. 204
Carolstadius. 191
Caluini anagrammata. 186
Castalio. 192
Cœna hæreticorum. 200
Concordia Schmidelini. 183
Confessio Bezana. 185
Constantia in religione. 200
Christus. 194
Crucifixus. 199
Corui in palatinatu. 204

D.

Danæus. 187
Deus. 194
D. Dionys. Areopagita. 201
Doletus. 192

E.

Ecclesia. 194
Eiusdem querela de hæreticis. 180
Eucharistia. 197
Effigies Lutheri. 190

F.

Farellus. 184
Fr. Rabelais. 191
Fasti hæreticorum. 203

G.

Gregorius XIII. Pont. Max. (194

H.

Hieronymus Pragensis. 180
Haddonus Anglus. 188
Historia recens de quodam Viennensi. 205
Hæresis excindenda. 108
Hæretici. 182
Hæretici diuisi. 191
Hæresiarchæ. 189
Heerbrandus. 190
Henricus Stephanus. 188
Hotomanus. 191
Hussius. 180
Heshusius. 192

I.

Ieiunium. 199
Illyricus. 193
Indulgentiæ. 201
Iustificatio. 198

Ima-

Imagines in Haddon. 199

K.

Kemnitius. 190

L.

Lectori. 206
Lupulus. 191
Lutherus. 181.182.183.186
Lutheri discipuli. 183
Lutheri Ministri. Ibid.
Lutheri gesta. 182

M.

Machiauellus. 188
Marbachius. 190
Müller. 190.193
Missa. 197
Melancthon. 183
Marotus Beza. 185
Münsterus. 192
Musculus. 187

O.

OEcolampadius. 184
Oratio pro pace Ecclesiæ ad Christum. 206
Oratio pro defunctis. 198
Orationes Sanctorum. 200
Osiander. 191
Osorius. 197

P.

Pappus. 189
Passio Christi. 199
Præscriptio Ecclesiæ in Haddonum. 195
Persecutio Anglicana. 189
Petrus Martyr. 188
Pœnitentia. 200
Purgatorium. 198
Puritani. 193

R.

Ramus. 187
Rabus. 191
Religiosi in Lutherum. 199
Rationes decem Edmundi Campiani. 202. & seq.
Religio Comitatus Palat. (204
Rosaria. 201

S.

Summus Pontifex. 195
Sacrorum profanatio. 198
Sanctæus. 188
Scheckius. 192
Schvvenckfeldius. 191
Scherius. 191
Securitas hæretica. 199
Sepultura. 201
Seruetus. 192
Serueti mors. 187
Sleidanus. 183
Sturmius. 189
Supplicationes. 200

V.

Vbique. 193

Vigoreus. 188
Virgo Maria. 194
VVestphalus. 193
VVitackerus. 202
Vocatio Indorum. 199.200
VViclefus. 180
Viretus. 184

Z.

Zvvinglius. 183

ERRATA SIC CORRIGE.

FOl. 5. vers. 14. lege, Arthemon. 20. v. 20. Hibernia. 22. v. 24. Circæo. 31. v. 6. abdomini. 32. v. 18. Amboſij. 33. v. 16. molendina. 34. v. 23. ſeſe reciperet. & v. 24. cum ganeone. 44. v. 4. Iannem. 69. v. 13. Mataeomachnia. 70. v. 16. paræciis. & v. 22. parœcias. 82. v. 19. characteribus. 103. v. 14. Luthero. 117. v. 16. coniungenda. 123. v. 4. phthiſica. 137. v. 2. ἐκχυνόμενον. 140. v. 25. aduerſus Quintum, S. Auguſtinus.

Cetera prudens Lector per ſe facilè emendabit.